Viro clarissimo, doctissimo
atque celeberrimo
Francisco Leu[illegible]

in signum
perennis observantiae
et pietatis

offert

Auctor

DISQUISITIONES

STERILITATIS MULIEBRIS

AUCTORE

JOANNE PERSON,

DOCTORE MEDICINAE, ORD. IMP. S. STANISLAI III CLASSIS, S. WLADIMIRI IV CLASSIS, S. ANNAE III CLASSIS EQUITE.

Ac de nuptiis quidem hae sunto adhortationes dictae atque etiam supra prolata, oportere nos sempiternam naturam sequi eo, quod natos natorum relinquentes, semper Deo ministros pro nobis tradamus.

(*Platonis Opera.* Edit. *Fr. Astii.* T. VI. Lipsiae. 1823.)

PETROPOLI.

TYPIS CAROLI KRAY.

MDCCCXXXV.

ПЕЧАТАТЬ ПОЗВОЛЯЕТСЯ

съ тѣмъ, чтобы, по отпечатаніи, представлены были въ Ценсурный Комитетъ три Экземпляра. С. Петербургъ. 2 Декабря 1835 года.

Ценсоръ *Петръ Корсаковъ.*

EXCELLENTISSIMO, CELEBERRIMO,
DOCTISSIMO AC INTEGERRIMO

VIRO

JOANNI A BUSCH,

A CONSILIIS STATUS ACTUALIBUS, ORD. IMP. S. STANISLAI II. CLASSIS, S. VLADIMIRI III. CLASSIS, S. ANNAE, ADAMANTIBUS ADORNATAE POLITIS, II. CLASSIS EQUITI, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IMP. MEDICO-CHIRURGICAE ACADEMIAE PETROPOLITANAE PROFESSORI EMERITO ET MEMBRO PERPETUO, EJUSDEM ACADEMIAE ACADEMICO, CONSILII MEDICI ADMINISTRATIONIS RERUM INTERNARUM ET VARIARUM SOCIETATUM LITTERARIARUM MEMBRO etc. etc.,

MERITIS DE RE MEDICA ET VIRTUTIBUS
OMNIGENIS ILLUSTRI,

PRAECEPTORI SUO, AD CINERES USQUE PIE COLENDO,

FAUTORI OPTIMO,
PATRONO COLENDISSIMO,

PAGELLAS HASCE,

IN GRATISSIMI ANIMI TESSERAM ET SEMPITERNAE PIETATIS MONUMENTUM,

SACRAS VULT,

D. D. D.

DEVOTISSIMUS

Joannes Person.

PRÆFATIO.

Inter praecipuos organismi muliebris affectus profecto eminet vel maxime *Sterilitas*, quam recte diceres congeriem diversissimarum abnormitatum, scopo muliebris vitae protinus oppositarum. Eandem quoque ob causam ad cognoscendas reliquas, quotquot prostant, muliebres affectiones haud parum conducit scrupulosior sterilitatis disquisitio, a multis ideo, potius tamen prioribus, quam recentioribus, instituta Auctoribus, sicuti videre est e proxime annexa serie operum, huc facientium. Proinde operae pretium esse, existimavi, ut in opusculo meo omnia, quaecunque circa fecunditatis et sterilitatis muliebris conditiones hucusque innotuerê, brevius

saltem exponam, hisque tractatum meum superstruam, non hypotheticis quidem opinionibus, verum observationibus medicorum omnis aevi munitum. „Opinionum enim commenta, ut utar verbis *M. Tullii Ciceronis*, delet dies, veritas manet.“

Antequam ad perscrutandam jam, pro viribus, memet accingam sterilitatem muliebrem, haud alienum a re esse, existimavi, si pars praemittatur aliqua eorum, quae circa fecunditatis muliebris anomalias conscripta sunt, atque proxime insequentibus inclusa sunt operibus:

Hippocrates, de his, quae uterum non gerunt, Lib. Bibliotheca Jatrica. Inchoavit et disposuit *J. F. Pierrer*. V. II. *Hippocr.* Opera. S. V. Altenburgi. 1806.

V. Tagereau, Discours sur l'impuissance de l'homme et de la femme. Paris. 1611. 8.

A. Marquart, Diss. de sterilitate sexus utriusque. Jenae. 1650. 4.

J. A. Pratis, Tractatus de arcenda sterilitate et progignendis liberis. Amstelodami. 1654. 12.

Regner de Graaf, Tractatus de virorum et mulierum organis generationi inservientibus. Lugduni Batavorum. 1668. 8.

G. E. Stahl, Programma de sterilitate faeminarum per aetatem. Halae. 1699. 4.

Lectus sterilis noviter detectus, conceptionis impedimenta, causas et curationem exhibens. Per eum, quem, dempta prima cognominis syllaba, Germanus mortuum dixerit *(Hertod).* Hagae Comitum. 1712. 8.

M. Schurigii, Parthenologia et Gynaecologia. Dresdae. et Lipsiae. 1729—30. 4.

G. F. Teichmeyer, Diss. de sterilitate mulierum. Jenae. 1734. 4.

C. G. Richter, Diss. de infecunditate corporis ob fecunditatem animi foeminarum. Halae. 1743. 4.

C. G. Gruner, De causis sterilitatis in sexu sequiori, ex doctrina *Hippocratis* veterumque medicorum. Halae. 1769. 4.

Jam. Walker, Diss. on the causes of sterility in both sexes, with the method of cure. Philadelphia. 1797. 4.

I. S. T. Frenzel, Von dem Unvermögen zur Fortpflanzung in Hinsicht auf beide Geschlechter. Wittenberg. 1800. 8.

M. Mestivier, Recherches sur la sterilité dans les deux sexes. Paris. 1802. 8.

I. L. Moreau, Histoire naturelle de la femme, suivi d'un traité d'Hygiène, appliquèe à son regime physique et moral aux differentes époques de la vie. T. I — III. Paris. 1803. 8.

E. La Brunie, Diss. sur les dangers de la privation et du l'abus des plasirs vénériens chez les femmes. Paris. 1805. 8.

C. G. Heinse, Unterricht über den weissen Fluss und die Unfruchtbarkeit der Weiber. Chemnitz. 1803. 8.

P. Roussel, Système physique et moral de la femme, suivi du système physique et moral de l'homme et d'un fragment sur la sensibilité; précedée de l'Eloge historique de l'auteur, par *I. L. Alibert.* Paris. 1813. 8.

I. C. G. Jörg et *H. G. Tzschirner,* Die Ehe aus dem Geschichtspunkte der Natur, der Moral etc. Leipzig. 1819. 8.

I. Ph. Bauer, Der Mensch in Bezug auf sein Geschlecht; oder Aufsätze über Zeugung, Befruchtung, Fruchtbarkeit, Enthaltsamkeit, Ehe und andere ähnliche Gegenstände. Nach den neuesten Werken der französichen Aerzte

deutsch bearbeitet. 2te verbesserte Auflage. Leipzig. 1820. 8.

I. Bousquet, Nouveau tableau de l'amour conjugal, ou Traité: 1) des organes de la génération, de leurs fonctions et de leurs maladies; 2) du mariage etc. T. II. Paris. 1820. 8.

F. L. Meissner, Ueber die Unfruchtbarkeit des männlichen und weiblichen Geschlechts, ihre Ursachen, Erkenntniss und Heilart. Leipzig. 1820. 8.

I. I. Virey, De la femme sous ses rapports physiologique, morale et littéraire. Paris. 1823. 8.

V. Mondat, De la sterilité de l'homme et de la femme et des moyens d'y remedier. 2-de Edit. Paris. 1822. 8. О безплодіи мущинъ и женщинъ и о средствахъ къ излѣченію онаго. *В. Мондата*. Переводъ съ Французскаго, *Петра Бутковскаго*. Спб. Петербургъ. 1826. 8.

§ 1.

Si quando in sterilitatem muliebrem penitius indagamus, obviam nobis statim venit gravissimum physiologicum momentum, conceptionis, puta, opus ex toto denegatum. Quo facilius igitur natura sterilitatis muliebris explicari posset, desideratur praeprimis succinta notio momentorum, quorum influxu homo fiat atque formetur.

§ 2.

Interea tamen secretum, cui natura conceptionis foetus operam involvit, strictius investigari nequit vel ideo jam, quia intimis organismi muliebris, quorsum nullus penetrare valet sensus, prima hominis futuri stamina jaciuntur. Quum igitur vera, atque omni numero absoluta, conceptionis theoria neque datur, neque construi potest: hinc ea saltem

exponamus, oportet, conceptionis requisita, quae per observationes omnis aevi innotuerê.

§ 3.

Equidem, si infimas animalium, plantarumque classes excipiamus, propagatio generis, per totam naturam organicam, innititur concursui duplicis sexus, licet ipse conceptionis modus perquam varie perficiatur. Organa quoque propagativa utriusque sexus quod spectat, horum primarium in sexu sequiori est *ovarium*, sicuti in sexu potiori idem denotant *testes*. Verum quidem est, progenerationi infimorum organismorum, praeter terram, aquam, aërem, lucem et calorem, nihil amplius necessarium esse; neque minus dantur organismi, nullo quidem praediti organo genitali, e quavis corporis sui particula novum, sui simile individuum simplicissime producentes (Hydrae), vel vero ex separata a reliquo ipsorum corpore parte una sobolem procreantes (Naides), absque ulteriori in utroque casu metamorphosi novi individui, integram jam, sibi requisitam, formam statim induentis. At in altioribus animalium classibus novum individuum jam non ex qualicunque puncto, sed ex certo corporis materni loco

progerminare solet, nempe ex *ovario.* Ubicunque igitur in altioribus animalium classibus genitale deprehenditur jam systema, ibidem primordiale conceptionis organon efficit ovarium (*), cui, in altioribus iterum classibus animalium, accedit aliud, aeque necessarium, organon, puta, testis. Mutua ovarium inter et testes ratio eadem est, ac quae reperitur pulpam nerveam inter et sanguinem: sicuti enim animalis sphera novi individui e testibus, ita vegetabilis ejusdem sphera ex ovario derivanda esse videtur. Ovarium et testes, in diversis aliis animalium classibus, concomitatur praeterea insignis copia peculiarium organorum, adjuvantium quodammodo conceptionis opus. Atque inde patet, quo altiorem esse animalis organismi evolutionem, eo numerosiora, eoque magis multifaria accedere organa conceptionis, eoque tandem graviorem necessario insequi metamorphosin individui novi.

§ 4.

Notari insuper meretur, quanto simpliciores et minus perfectos esse organismos,

(*) *C. G. Carus,* Grundzüge der vergleichenden Anatomie und Physiologie. Dresden, 1828. 8. 3tes Bändchen. S. 43.

quantoque minus voluminosam pronasci ex ipsis sobolem: tanto magis vigere fertilitatem illorum, tantoque citius dein sobolem, jam procreatam, perfectioni suae appropinquare. Econtra in animalibus perfectioribus numerus prolium longe minor est; ipse porro foetus longiorem retinet nexum cum corpore materno, donec eum assequatur perfectionis gradum, ut jam separatam continuare vitam valeat. Generatim videlicet nexus embryonis cum materno corpore tanto magis prolongatur, quanto lentius idem a partu increscit (*). Neque hoc praeterea latet, organismos minus fertiliores diuturniori frui vita, nec non longiorem habere periodum vitae fecundae. Atque hoc modo fecunditas et perfectiorum et imperfectiorum organismorum aequali procedere solet passu, et certam conservat proportionem in corporibus creatis.

§ 5.

Maximi porro momenti est qualitas innata, seu mixtio intima materiei organicae, pro-

(*) *M. a Lenhossek,* Institutiones physiologiae organismi humani, usui academico adcommodatae. Ed. Mosquensis. 1823. V. II. L. II. p. 11—12. Confer quoque *D. G. Prochaska,* Physiologie oder Lehre von der Natur des Menschen. Wien. 1820. S. 477. § 321.

generando novo individuo idoneae: siquidem forma materiei ejusmodi, seu qualitas externa, toties immutata remanet, at nihilo secius infecundam sese praebere potest, propter alienatam duntaxat et corruptam mixtionem internam. Proinde sedulo natura enititur, ut mixtio materiei fecundae ab omnibus nocivis influxibus probe muniatur. Ita semen plantarum involutum invenimus multis membranis. Ita in oviparis ovum obtegitur crusta duriori. Ita tandem in viviparis rudimentum futuri organismi fovetur absconditis et intimis corporis muliebris visceribus, quorsum potentiae nocivae externae haud adeo facile penetrant.

§ 6.

Sicuti autem nemo Physiologorum dubitat, quin uterus sistat locum, pro evolutione embryonis a natura destinatum: ita, ex opposita parte, de loco conceptionis haud omnes unanimiter sentiunt; quippe quod, secundum nonnullos, utero, secundum alios vero, ovario attribuendum est conceptionis opus (*). Qui concep-

(*) *Lenhossek,* l. c. V. II. Lib. II. Pag. 62, 63. § 48. — *Prohaska* l. c. pag. 522, 524. § 353. *J. C. Jorg,* Grundlinien zur Physiologie des Menschen. 1-ter Theil. Leipzig. 1815. 8. S. 206. § 133. u. ff.

tionem utero debere, asseverant, sequentia afferunt argumenta: liquoris proliferi utriusque sexus conventum mutuum conceptioni pernecessarium esse, antiquitus jam invaluit opinio. Proinde, coitus tempore, semen virile necessario pertingit usque ad uterum, eodemque insimul tempore ovulum Graafianum, vel vero liquor Graafianus, ex disrupto tunc temporis ovulo elicitus, descendit utique in cavum uterinum. Tum porro longitudo membri virilis ita est adaptata vaginae uteri, ut glans penis usque ad os uteri attingat (*), taliterque semen virile tanto tutius intromittatur cavo uteri. Praeterea illa animalia, quorum femellae duplicem gerunt uterum, habent quoque penem duplicem (Opossum, animalia ovipara, piscibus et nonnullis amphibiis exceptis) (**). Multoties porro observatum fuit, post coitum fructiferum semen virile haud refluere e genitalibus mulierum.

§ 7.

Contra haec, multaque alia argumenta pugnant, et conceptionem ovariis pertinere

(*) *G. R. Treviranus*, Biologie oder Philosophie der lebenden Natur; für Naturforscher und Aerzte. 3ter Band Göttingen 1805. S. 399.

(**) *Treviranus*. l. c.

comprobant observationes *Harvei* (*), *de Graaf* (**). *Halleri* (***) qui in utero animalium, statim a coitu necatorum, nullum invenerunt semen. Multoties quoque observata est conceptio, quamvis hymen remanebat inperforatum, aut os uteri coalitum fuit, aut quamvis penis haud congruo loco perforatus fuerat. Hisce dein si addamus obviam hinc inde graviditatem tubae Fallopianae, vel ovarii, tum porro artificialem conceptionem tubariam, ope ligaturae tubae Falopianae procuratam (†): nullatenus jam dubitare possumus, quin ovaria pro loco conceptionis inserviant, quin porro rudimentum foetus vivificatum illico descendat, secundo vel tertio post coitum fructiferum die, per tubas Falopianas in uterum, evolutionis ulterioris, non vero fecundationis causa.

§ 8.

Atque quamvis nihil obstet, quominus semen virile pluribus in casibus ad cavum per-

(*) Exercitationes de generatione animalium. Amstelaedami. 1662. 12. Exercit. 48. 67.

(**) Opera omnia. Amstelaedami. 1705. 8. Pag. 305.

(***) Elementa Physiologiae. T. VIII. Lib. 19. Sect. I. § 11. P. 19 — 22.

(†) S. *Chotovitsky*, Paedo-Gynaeco Jatrices synopti-

veniat uterinum, id tamen haud ubique contingit, neque physica mixtio spermatis masculi cum faemineo liquore necessario requiritur: quippe quod pro fecundatione satis jam superque est, si modo volatile spermatis principium, aut sic dicta aura seminalis ovula adspiraverit materna, refluente, licet, post coitum, spermatico humore (*).

§ 9.

Actio autem imponderabilis principii spermatis convenit cum actione contagiorum, nempe suscitat in vesiculis Graafianis peculiarem metamorphosin vitalem; inde affluxus humorum adaugetur et status insequitur phlogisticus, omnes penetrans partes internas; insimul incrassantur calyces vasicularum Graafianarum, humor lymphaticus majori affluit copia, atque ipsa nunc progerminant ovula,

---

ea expositio, evolutioni et revolutioni vitae superstructa. Petropoli. 1823. 8. P. 12.

(*) *Lenhossek.* l. c. Pag. 62 — 65. — *Mondat,* De la sterilite de l'homme et de la femme et des moyens d'y remedier. 2te Edit. Paris. 1823. 8. — О безплодіи мущинъ и женщинъ и о средствахъ къ излѣченію онаго. *В. Мондата.* Переводъ съ Французскаго. *Петра Бутковскаго.* Ст. Петербургъ. 1826. Стр. 7 — 10.

quae, elapsis aliquot a conceptu diebus, secedunt e disrupto calyce suo, recipiuntur in tubas Fallopianas, fimbriis suis amplectentes ovaria, atque intra dies tres vel quatuor in uteri cavum transplantantur, ibique, adjuvante vinculo organico, ulterius explicantur et embryonis formam induunt.

§ 10.

Quum autem conceptionis opus sit reproductio, ultra limites corporis individui muliebris excedens, hinc perfectum jam requirit statum corporis muliebris, atque quo magis viget, eo magis quoque individualem deprimit reproductionem; ut ideo reproductio generis et individualis reproductio oppositam sibi invicem referunt rationem.

§ 11.

Quae cum ita sint, sponte effluit, inter *conditiones conceptionis* primarium obtinere locum *certam et convenientem aetatem.* In tota natura organica facultas generandi tamdiu non comparet, quamdiu individuus organismus, aeque ac organa individualia, ipsi innata, certum ac determinatum perfectionis

physicae non tetigere gradum. Priusquam igitur haec vitae periodus insecuta est, coitus, cohabitatio, eo autem magis conceptio, frustranea, quin impossibilis est. Aequo modo, postquam completus maturitatis physicae status, ad leges a natura sancitas, ab redeunte iterum, ut ita dicam, imperfectione excipitur, aetate, puta, provectiore, coeundi facultas licet remaneat, conceptio tamen suum amittit locum.

§. 12.

Cum incipiente prima menstruatione, atque cum illa desinente, facultas muliebris propagandi genus suum et incipit et desinit. Hinc, pro varietate climatis, temperamenti, educationis, vitae generis, undecimus aetatis annus usque ad decimum septimum, et quadragesimus usque ad quinquagesimum, sunt termini, quos ultra citraque nulla plerumque pariendi facultas consistere valet.

§. 13.

Praematurus igitur veneris usus, ante absolutum corporis incrementum jam inceptus, notabiliter retardat evolutionem corporis muliebris, sicuti videre est praeprimis in India orientali, in qua scilicet regione puellae nondum puberae conjugium inire solent. Aequo modo decrementum longioris staturae corpo-

ris, qua olim Germani excellebant, nonnulli (*) derivant ex suetis quondam in Germania conjugiis praematuris (simulque ex depravatione morum). Patet igitur ex proxime dictis, nec vetulam juveni nuptam, nec puellam cum decrepito sene junctam, aliquid frugis ferre posse; quam ob rem veteres jam auctores de justo conjugium ineundi termino multa scriptis prodiderê. *Aristoteles* (**) praecepit, ut vir viginti annis superet virginem, quacum inire conjugium desiderat. Verum tamen quindecim, immo decem annis senior vir, juxta mentem recentiorum, inequale conjugium nondum efficit. In reliquis, neque hoc praetermittamus, oportet, irritantes et aromaticas ablutiones genitalium, tum porro vitam lautam et cibos summe nutrientes, multum conferre ad maturius provocanda catamenia, adeoque etiam ad praecocem pubertatem muliebrem (†). Eundem quoque effectum exerere

---

)*) *Hermanus Coringius*, de habitu Germanorum. Cap. IX. Conf. Das Weib im gesunden und kranken Zustande. Nach dem franz. von *Virey* und *Fournier* frey bearb. und mit Anmerk. versehen v. *I. K. Renard* et *F. I. Wittmann*. Leizig. 1821. S. 21. — Porro *Tacitus*, de moribus Germanorum. C. XVIII. — *Julius Caesar*, de bello Galico. L. V.

(**) Historia animal. L. V. C. 14.

(†) Exemplum praecocis menstruationis, inter lusus naturae

videtur exigua corporis muliebris statura, praecipue si peculiari vitae genere adjuvetur, qualem v. g. ducunt foeminae Jacutenses, Kamtschadenses, Ostiacenses, Esquimocenses, aliaeque, polares regiones incolentes, utpote quae piscibus praeprimis vescuntur, stimulo venereo haud inimicis, tum porro in cavernis subterraneis totam fere peragunt vitam, ibique intensiori calori prunarum ardentium exponuntur, taliterque pubescunt longe maturius, ac, habita ratione climatis borealis, expectare posses. — Conceptio sine menstruatione, nec non graviditatis solummodo tempore apparens menstruatio (**), tum porro conceptio in provectissima aetate, qua exceptiones e regula universali a cunctis Physiologis aestimantur. Interea conceptio, durante lactationis periodo, non inter raras recensetur exceptiones.

---

potius annumerandae, Petropoli *quoque* observatum in puella bienni, ceterum bene valente, atque evolutionis notabilioris mammarum et genitalium externorum vestigia referente, enarrat Prof. *Chotovitsky* (О болѣзненномъ состояніи кровавыхъ испражненій изъ машки. Военно - Мед. - Журналъ, Ч. XVI. No. 2. Стр. 216—217.

(**) Handb. d. medicinisch. Geburtsh. etc. Von *J. A. Schmidtmüller*. 1. Theil. Frankfurt a. M. 1809. S. 4.

§ 12.

Sicuti autem junctis solummodo utriusque individui viribus, et mulier reproducit, et vir rudimentum organismi humani vivificat: ita mulier sola nequaquam proli suae educandae sufficit, partim ob strenuam curam, qua infantulus, perquam lente increscens, eget, partim ob redeuntem toties, in faemina, graviditatem et partum. Conjugium igitur virum inter et faeminam non solum procreationi, verum et educationi sobolis a natura jam efflagitari, palam est tanto magis, cum in multis quoque animalibus eadem cura prolis diuturnum consortium masculi et faeminini individui strictius confirmet. Hisce autem si addamus eas observationes nuperrimas (*), e quibus constat, propagationem generis humani ad aequalem semper restringi utriusque sexus numerum: tum inter conditiones, conceptioni idoneas, nequaquam polygamiam, contra vero monogamiam referamus, necesse est. Videlicet ratio inter partus masculinos et foemininos ita se habet, ac 21 : 22; interea tamen in decursu infantiae major puerorum, minor vero puellarum emoritur

(*) *C. W. Hufeland*, Uber die Gleichzahl beider Geschlechter im Menschengeschlechte. Berlin. 1820. 8.

numerus. Aequalis adeo partuum utriusque sexus numerus, polygamiam naturae repugnare, palam docet. Bella ipsa aequalitatem hanc tollere non audent, quum viri facultatem generandi diutius, ac faeminae, possideant. Scopus per polygamiam augendi populationem erroneus est: econtra emaciatio systematis sexualis conceptionem retinet; atque si quando numerus prolis augeatur, magna, ex altera parte, quantitas prolis vix non impedit, quo minus justa ac debita ipsi educatio a parentibus procuretur. Juxta *Sangredo* (*) observationes, Turcae, multas possidentes uxores, aut nullos, aut debiles et languentes edunt liberos, qui brevissima fruuntur vita.

§ 13.

Amor conjugalis. Qui naturam intime perscrutari student, ab omni aevo observarunt, ferocissimas etiam bestias coram femellis suis mitigari ac paccari. Rationale autem animal eo magis decet amore concordiaque conjugali dirigi. Quod si haec deficiunt, nulla plerumque speranda venit frugalitas. Amoris conjugalis in fructiferam vitam influxum ani-

(*) Beschreibung der Ottomanischen Pforte. I Theil.

madvertens, sagacissimus *Montesquieu* (*) totalem ac liberam sponsalibus derelinquere voluntatem suadet, quae tamen haud incongrue parentum prudentia moderanda est. Amoris conjugalis influxus in fecunditatem vel inde quoque patet, quod antipathia, odium vel ira, congressum sexualem plerumque irritum reddunt; proinde ipsa quoque conceptio, post stuprum ingruens, aliquem saltem, in foeminino individuo, sensum voluptatis extricatum fuisse, docet: namque exquisitum odium impregnationi alienum esse videtur. Memorantur porro casus, in quibus conceptio absque omni fere voluptatis sensu, immo durante somno profundiori (**), insecuta est; ast tum certe nulla saltem adfuit aversio, utque ideo voluptas, aut saltem aversationis absentia inter necessaria conceptionis requisita, pro certo, non ultimum occupare soleat locum; quamvis, ex opposita parte, nullatenus concludere fas est, quo majori foeminam, cum viro coeuntem, perfrui voluptatis sensu, quove magis in amplexus sexuales proclivem

---

(*) Oeuvres. Nouvelle Edit. Amsterdam et Leipzig. 1760. T. III. P. 7 — 8. Ch. VII. — VIII.

(**) Dict. des sciences médic. T. II. Art. Sterilité. P. 517. Tom. XIV. Art. Fécondité. P. 185. —

esse, eo majori donari fertilitate (*). Proinde *Plato* (**) dissuadebat viris conjugium inire cum foeminis, ad stimulum venereum perquam proclivibus. Verba ejus sunt: „abstinendun quoque est ab agro illo foeminino, ubi semen germina producere nolit."

§ 14.

Certa, at nondum satis cognita, *constitutionis individualis* ratio magnopere quoque conducit in conceptionis opus. Desideratur equidem inter masculum et foemineum individuum sympathia aut certa harmonia, quam tamen nullatenus similitudo temperamenti, aut aetatis, verum potius dissimilitudo aliqua efficere solet; vir enim, temperamento cholerico, bilioso praeditus, lubentius conjugem sibi eligit mansuetam; aequo modo foemina, affectibus animi summe dedita, maritum sibi peroptat, temperantia et tranquillitate excellentem: tali enim modo vel impetus animi unius individui moderabitur tranquillitate alterius, vel vero constitutio corporis utriusque indi-

(*) *De Magny*, Non ergo quo salacior mulier, eo fecundior. Parisiis. 1720. C. Dict. des sciences medic. Tom. LII. Art. Sterilité. P. 510 — 511. Tom. XIV. Art. Fecund. Pag. 485. —

(**) De legum lat. dialogus. —

vidui, aut perquam frigida, aut perquam calida, indeque fecunditati summe nociva, certo certius declinabitur. At neque temperamenta conjugum summe opposita requisitam confirmare valent harmoniam, impregnationi pernecessariam: ubicunque enim mulier nimis phlegmaticam, et vir nimis cholericam prae se fert naturam, ibi fecunditas languet cousque, donec aut aetas, aut consuetudo desideratam reparet harmoniam. Inde est, quod conjuges, per longam annorum seriem protinus liberis destituti, tandem, in provectiori jam aetate, prolem aliquando sortiuntur. Eandem quoque ob causam conjugia aliquando remanent prorsus infecunda, quamvis utrumque individuum in altero conjugio proliferum postea se praebet. Ut paucis rem complectar, mulier eo fecundior est, quo magis moderato, sanguineo et lymphatico temperamento, alacri, simulque mansueto animo, ac moderata irritabilitate gaudet, praeprimis si genitale quoque systema normaliter constructum referat, nec exoptata mammarum evolutione careat, atque congressus sexualis tempore haud afficiatur enormi et excessiva voluptate.

§ 15.

Quam multum *Climatis* ratio ad fecun-

ditatem conferat, quotidiana luculenter demonstrat observatio. Quo moderatior, puta, zona terrestris, eo uberior est foeminarum fecunditas. Excessus et caloris et frigoris notabiliter exhaurire solet statum foeminarum proliferum. Sub zonis torridis, coelo sereno ditatis, excessiva adeo nutrimentorum copia affluentibus, atque insimul polygamiam foventibus, fecunditas foeminarum nihilo secius haud exuberans est. Namque enormis calor dissipat fluidas et relaxat solidas corporis muliebris partes. Hisce si superaddas continuum balneorum abusum, nec non ipsum sexus sequioris, in regionibus australibus, temperamentum calidius, enervatumque ibidem, ob polygamiam, statum sexus potioris, facile tum intelliges et abundantiorem sub zonis torridis fluxum faeminarum menstrualem, in menorrhagiam, metrorrhagiam, indeque in abortus adeo pronam, et aequo debiliorem potentiam virorum genitalem. Equidem foeminas Europeas, frigidiori praeprimis gaudentes complexione, atque ideo steriles, toties concepisse, postquam in regiones permigrarunt australes, nemo est, qui nesciat. At eodem modo foeminae nervosae et steriles, e regione torrida in temperatam advenientes, fecunditate diu sperata abunde ditantur. Solam ta-

men excipiamus, oportet, gentem Aethiopicam, quippe quae sub zona torrida majori gaudet fecunditate, ac in regionibus frigidioribus: neque enim mulieres Aethiopicae, coelum ardens facilius perferentes, adeo anomaliis menstruationis laborant; tum porro simplicius, adeoque naturae magis consentaneum, vitae genus agunt. Pari modo excessivum, econtra, frigus efficit, ut in Laplandia, Groenlandia, aliisque regionibus, polo utrique propioribus, fecunditas muliebris haud adeo excedat. Hisce ceterum praemissis, lubenter clarissimo *Virey* (*) assentimur, qui asserit, a polaribus ad aequatoriales regiones fecunditatem muliebrem successive decrescere. Interea neque hoc praeterire debemus, in regionibus, sub eadem zona situm habentibus, fecunditatis gradum subinde variare, sicuti v. g. videre est in nonnullis Helvetiae provinciis (Canton Lucern, Oberschweitz et Unterwalden) (**); id quod a vario humiditatis gradu, hisce provinciis proprio, provenire videtur; quatenus scilicet loca sterilia, elevata et ventis exposita fecunditati minus pro-

(*) Dictionaire des sciences medicales. T. XIV. Paris. 1815. Art. Fécondité. Pag. 490.

(**) *Bauer.* l. c. S. 63 — 64.

ficua sint, ac loca depressa, rivis et humo abundantia.

Modica videlicet humiditas ut plurimum adjuvat fecunditatem muliebrem; quam ob rem complexio muliebris humidior, sed non adeo tenera, porro, ex altera parte, loca minus elevata, atque potius humida, inter primaria fecunditatis muliebris emolumenta recensentur. Dehinc quoque in regionibus maritimis fecunditas faeminarum satis viget (*).

§ 16.

Ratio *temporis annui, mensualis et diurni.* Quatenus anni tempora, strictius considerarta, climata sunt praetereuntia, hinc statum faeminarum fructiferum pariter modificare valent. Anni duntaxat tempora quoque, neque frigida, neque calida nimis, prae ceteris succurunt fecunditati muliebri. Equidem, faeminam quovis anni tempore conceptioni aptam esse, nemo inficias ibit; at vernale tempus, ut plurimum conceptioni idoneum, multi, observationibus super animalia institutis innixi, declarant. Idem jam senti-

(*) *Bauer*. l. c. S. 65.

ebant *Hippocrates* (*) et *Aristoteles.* Juxta *Plinium*, ver est tempus genitale. Insuper scrupulosior calculus, multoties repetitus, edocuit, majorem partuum numerum supervenire mensibus Decembri et Jannuario (**). Ratione temporis mensualis, periodus catameniorum valdopere influit in conceptionis opus, quippe quae facillime insequitur statim post absolutam quamlibet catameniorum periodum.

Quum tandem tempus diurnum sistat abbreviatum anni tempus, hinc quoque questionem de hora genitali, vidilicet de horis, conceptioni ut plurimum idoneis, veteres ventilarunt. In vulgus autem notum est, maximam partuum copiam tempore accidere nocturno; e quo igitur concludere fas est, conceptionem quoque frequentius supervenire horis nocturnis. Videntur tamen horae matutinae vel maxime conceptionem promovere, utpote hoc diei tempore omnes functiones organismi, per somnum recreatae, majori pollent vigore;

(*) l. c. De iis, quae uterum non gerunt, Liber.

(**) L. c. Dict. des sciences medicales. Tom. XIV. P. 474. Art. Fécondation. — *Bauer* l. c. P. 65. — *Carus,* Lehrb. der Gynäcologie. 2ter Th. 2te Ausg. Leipzig. 1828. § 648.

praterea in animalibus quoque et plantis idem supervenire, multifaria annotatio naturae comprobat.

§. 17.

Ratio *alimentorum* et *vitœ generis*. Quum ubique terrarum numerus incolarum vel increscit, vel decrescit, pro abundantia, dundaxat, vel defectu annonae, hinc vis et efficacia alimentorum in fecunditatem muliebrem haud levioris est momenti. Neque tamen unicuique ciborum generi eadem inest virtus prolifera; siquidem animali, ut plurimum succi nutricii pleno, cibo promovetur vel maxime fecunditas muliebris, quae ideo longe magis inter carnivora, quam inter herbivora animalia eminet, nec non numerosiorem illis suppeditat prolem. Piscium quoque carnes, salinis et phosphoricis abundantes particulis, idoneum fecunditati offerunt nutrimentum. Eandem possidet vim proliferam modicus potuum spirituosorum usus. Ast optimus quoque cibus non nisi tum fecunditati prodest muliebri, cum digestio alimenti assumpti intempestivo haud perturbatur coitu.

Jam *vitae genus varium* quod spectat, inter ruricolarum foeminas, simpliciori vitae rationi addictas, insignis ubicunque animad-

vertitur fecunditas, qua tamen urbium incolae, a vita lauta, inordinatoque victus et amictus regimine aegre recedentes, vix adeo gloriantur.

§. 18.

Quandoquidem igitur fecunditas muliebris tot tantisque innitatur momentis, hucusque expositis, sponte jam effluit, gravissimam adeo functionem subinde atque toties perturbari posse, quoties modo hoc, modo illud, modo plura momentorum ejusmodi ad perfectam conceptionis operam vel insufficienter contribuunt, vel protinus non concurrunt. Casus enim, in quibus absque completa membri virilis in vaginam immissione, vel vero sub hymenis imperforatione, aut perquam morboso organorum genitalium statu, tum porro post stuprum, paucis, post deficientes plurimas, supra laudatas fecunditatis conditiones, conceptio tamen insecuta fuit, et rarius occurunt et inter exceptiones numerantur, regularem conceptionis rationem haud infringentes.

§. 19.

Varias idcirco deprehendimus conceptionis abnormitates, seu anomalias, quas inter principalem obtinet locum conceptio *extra-*

uterina, frustranea et *nulla*. Nostri tamen intererit, eam nonnisi, in quantum possumus, perscrutari conceptionis anomaliam, quae *completo ejusdem defectu constat*, atque sub *Sterilitatis* nomine venit.

§. 20.

Est ergo Sterilitas morbus mulieris adultae et viro junctae, deficiente concipiendi facultate notatus. Sub iisdem vero circumstantiis, sexum potiorem spectantibus, exurgit *Impotentia*, morbus scilicet, deficiente fecundandi facultate distinctus.

§. 21.

Vocabulum «*Sterilitas*» depromptum est a graeco *στερεω* (privo) et *στειρωσισ* (privatio, infecunditas). Olim adhibebantur vocabula: *ατοκια* vel *ατεκνια*, *ατοκεια* et *αγονια*, quae eandem fere habent significationem; tum porro occurrunt: *αφορια* (ab *a* neg. et *φερω* porto) et *αγεννυσια* (*).

(*) *C. Schrevelii*, Lexicon manuale graeco-latinum et latino-graecum. Studio atque opera *Jos. Hill*, *Joann. Entick*, *P. Bowyer*. Editio XIX. Edinb. 1809. 8.

Totius latinitatis Lexicon, consilio et cura *J. Facciolati*, opera et studio *Aeg. Forcellini*; correctum et auctum ediderunt *G. Hertel* et *Voigtländer*. T. IV. Schneebergae.

Quamvis autem Graeci nomine στειρωσισ designabant infecunditatem utriusque sexus, tamen latinum vocabulnm: „Sterilitas", maxima ex parte, intelligitur nonnisi de sexu sequiori.

§. 22.

Multiplici quoque modo dividebatur Sterilitas a nonnullis auctoribus. Vel maxime invaluit divisio in sterilitatem *absolutam* et *relativam* (*). Harum *prima* in matrimonio quovis semper eadem persistit; *altera* vero in primo matrimonio permanet, dum in secundo penitus deleatur, nullatenus ceteroquin mutata animali oeconomia. At divisio ejusmodi aptius quadrat ad medico-legalem sterilitatis dijudicationem (**), quatenus scilicet sterilitas, praeprimis *relativa* extra cancellos praxeos medicae versatur. Apud alios iterum auctores (***) oc-

---

1829. p. 179. *F. J. Masson Good*, physiological system of Nosology. London 1817. p. 401. — *F. L. Meissner*, l. c. p. 39-41.

(*) Tractatus de morbis mulierum, etc. Auctore *Joh. Astruc*. P. altera. Neapoli. 4. p. 30.

(**) Крашкое изложенiе Судебной Медицины и пр. Соч. *С. Громова.* С. Пешербургъ. 1832. сшр. 173.

(***) *J. Masson Good*, l. c. p. 402—403.

currit sequens divisio sterilitatis: a) *aphoria impotens*, quae constat imperfecta, vel absoluta impotentia concipiendi, per atoniam, vel organica vitia genitalium inducta; b) *aph. paramenica*, a variis menstruationis anomaliis pronata; c) *aph. impercita*, a mutua inter conjuges aversatione, vel defectu stimuli venerei exorta; d) *aph. incongrua*, ex defectu requisitae harmoniae et necessarii consensus virum inter et foeminam enata; e) *aph.* ab excrescentia carnosa vel alia, uterum, vel vaginam ejus, vel vero utrumque replente, orta. Interea tamen divisionem hancce, nonnullis solummodo sterilitatis causis superstructam, adeoque neque sufficientem, neque essentialem invenimus. Commemorari tandem potest recepta a nonnullis auctoribus divisio sterilitatis in *permanentem*, seu *perennem*, et *transitoriam* seu *temporalem*, quamvis *prima* harum specierum proxime accedit ad sterilitatem *absolutam*, sicuti *altera* ad sterilitatem *relativam* (*).

§. 23.

Majoris econtra momenti est unanimis fere auctorum observatio de frequentiori apud

(*) *Galenus* (Comment. ad *Hippocr.* Aphor. 62. S. V.) divisit causas sterilitatis in parvas s. curabiles et magnas s. incurabiles.

mulieres, quam apud viros, defectu facultatis generativae. Reapse autem sterilitas muliebris longe frequentius, ac impotentia virilis, occurrit, propter plura momenta, et quidem, primo, propter majorem in foemina numerum et complicationem organorum genitalium, tum porro propter magis internum ipsorum situm. Hac igitur ratione posita, nil admirandum est, si copia causarum sterilitatis muliebris perquam insignem sese offerat (*); si item abditam genitalium internorum abnormitatem, conceptioni toties infestam, indeque *Diagnosin* sterilitatis perarduam, saepenumero inveniamus.

§. 24.

Tanto magis igitur operae pretium est, ut in *causas* sterilitatis muliebris, in quantum possumus, strictius, accuratiusque inqui-

---

(**) Proinde *Manningham* (Artis obstetricariae compendium, tam theoriam, quam praxin spectans; auctum, tabulisque aeneis ornatum Auctore *Ph. A. Boehmero*. Halae Magdeb. 1746. 4. p. 51) dicit: „oritur plerumque sterilitas foeminarum vitio: triginta enim mulieres steriles in singulos viros impotentes, si divisio fieret, inveniri possunt.» Conf. quoque *Fernelius*, De abditis rerum causis. — *Bousquet*, l. c. p. 197.

ramus, nec non aliquem in exponenda tanta ipsarum copia *ordinem* statuamus. Sunt autem causarum sterilitatis *aliae extra organismum muliebrem positae, aliae autem intra organismum ipsius sedem suam collacatam habent.* Ultimi ordinis causae sunt iterum vel *generales,* vel *locales.*

§. 25.

Inter *causas Sterilitatis, extra organismum foemineum reperiundas,* praeprimis recensentur *climatici influxus.* Sub zonis moderatis fecunditas mulierum, sicuti supra memoratum jam est (§. 15), longe magis viget, ac sub zonis justo calidioribus, frigidioribusque. Nullo igitur modo assentiri possumus iis, qui maximam regionibus calidissimis tribuunt fecunditatem muliebrem: intensus enim caloris gradus multas detrahit partes fluidas, multum adeoque succi nutricii requiritur ad restaurandas partes amissas. Propter frigidam aëris temperiem, *Hippocrates* (*) foeminas Scytharum plerumque steriles declarat, minimoque in coitum nisu praeditas; dum econtra mulierculis, regiones torridas incolentibus,

(*) Lib. de locis, aëre et aquis. Edit. *Pierer.* Vol. I. p. 225.

summa dicitur innata esse propensitas ad concubitum. Argumenta hujus asserti jam *Herodotus* (*) affert, ubi de nimis libidinosa natura foeminarum Egyptiacarum verba facit.

Quod vero tempore hiemali conceptio rarius locum obtineat, id jam *Aristoteles* (**) et *Hippocrates* (***) memoriae prodiderunt.

§. 26.

Excessus in cibo et potu, vel vero defectus notabilis alimentorum, haud levia sunt fecunditatis obstacula. Ventriculus, nimia ciborum copia oneratus, ansam suppeditat indigestioni, pravae chylificationi et sanguificationi. Proinde *Hippocrates* (†) jam consilium dedit, ne ante coitum ventriculus multo obruatur cibo. Excessivus usus potulentorum, calefacientium inprimis et spirituosorum, attenuat humores (*Avicenna* (††), *Aristoteles*) (†††), obtunditque nervos, indeque conceptioni nocet. Ex eadem forsan causa explicanda est sterilitas, quam

(*) Historiar. Lib. II.

(**) De generatione animalium. Lib. IV. Cap. II.

(***) De aëre, aquis et locis liber. Cap. II. Edit. *Pierer.* pag. 209.

(†) De his, quae uterum non gerunt. Lib.

(††) Liber III. Tract. I. Cap. 8.

(†††) Problem. IV. Sect. III. pag. 59.

nonnulli excessivo usui potus Coffeae attribuunt, repugnante ceteroquin experientia. Prava qualitas, vel defectús alimentorum, chylificationi adeo inimicus, adeoque inter sterilitatis causas relatus, quavis increscente annonae caritate evidentissime comprobatur, quippe quod partuum numerus tum diminuitur.

§. 27.

Vitae genus sedentarium totum relaxat corpus, adeoque et genitalia, quae eodem quoque modo afficiuntur a balneis tepidis, frequentius repetitis; in utroque igitur casu concipiendi facultas integra persistere nequit. Ex opposita parte, *motus corporis excessivus*, atque vita perquam laboriosa exhaurit vires, atque intensiori perspiratione cutanea consumit totum nutritionis penum, in genitale systema alias redundantem; iterum ergo coceptionis negotium perturbat.

Vestimenta quoque nimis angusta, praeprimis autem thoraces, eundem exerunt nocivnm effectum, quem a tumoribus, in abdomine pronatis, systema experitur genitale; namque premuntur vasa spermatica, ovaria, tubae Fallopianae, et rectâ ad sterilitatem ducunt; in alio vero casu thoraces prolapsum uteri conciliant, a risu, tussi, sternutatione,

maxime vero a bajulatione ponderum vel facillime comparentem, pariterque igitur conceptioni adversantur,

§. 28.

Ad causas id generis spectat quoque *defectus mutui amoris conjugalis;* proinde foeminam, sub coitu plorantem, conceptionis incapacem declarat *Mercurialis* (*). Negari quidem non potest, stuprum etiam impregnationi nequaquam obstare; nihilo secius tamen ad fructificationem certa requiritur inter conjuges harmonia. Ideo affectus animi vehementiores, praeprimis deprimentes, fecunditatem diminuunt, procreatisque jam semel liberis requisitum virium robur demunt. Ideo docti et perquam eruditi viri, quorum litteraria negotia parvum amori concedunt locum, rarius liberos, ingenio excellentes, edunt. *Temperamentis,* in utroque individuo *oppositis,* magna quoque inest vis in retardanda impregnatione; vivax quippe

(*) De morbis mulier. Lib. II. Cap. II. Eodem videtur modo judicasse *Aetius* (Tetrabibl. IV. Serm. 4. 26. pag. 792. Collect. *Steph.*), cum invitos coïtus inanes ac steriles pronunciavit. „Amor enim, inquit, genituram conciliat etc.“

in foemina et phlegmaticum in viro, temperamentum, aeque ac opposita hisce temperamentorum ratio aut nullius, aut nonnisi debilioris prolis procreationem permittit: simultanea enim sub coitu voluptas utriusque individui, conceptioni tam succurrens, a contrariis adeo temperamentis expectari nequit.

§. 29.

Longe majorem autem impregnationi noxam inferre solet *aetas conjugum notabiliter discrepans*; quamvis enim aequalis utriusque individui aetas inter requisita conceptionis momenta vix collocanda est, ob seriorem, puta, individui masculi maturitatem, longioremque in ipso perdurationem facultatis fructiferae: tamen eadem ratio jubet, ut vir quinque vel decem annis superet foeminam. Proinde ubicunque in uno individuo facultas fructifera jam decrescit, dum econtra in altero adhuc increscat, disconvenientiam aetatis conjugum maximam tum agnoscere debemus. Omnium maxime vero naturae repugnat connubium junioris viri cum foemina provectioris jam aetatis; quippe quod ejusmodi annorum disproportio nonnisi rarissime recompensatur convenientia temperamentorum, puta, alacritate foeminae et phlegmatica natura viri.

§. 30.

Praeterea huc loci annumerari possent causae sterilitatis, a *veteribus scriptoribus commemoratae*. Olim, dum magicae artes et superstitiosae magno valore pollebant, multa, nunc plane incredibilia, enarrabantur de sterilitatis causis, utpote videre est apud *Oribasium* (*), *Dioscoridem* (**), *Plinium* (***), *Aristotelem* (†), *Avicennam* (††), aliosque veteres scriptores. Insignis plantarum, mineralium, aliorumque corporum numerus, quibus nunc temporis vel plane nulla, vel prorsus alia attribuitur vis, conceptioni summe inimica credebatur. Exemplo: sem. lini, canabis sativae, psylli, rad. filicis, orchidis nemorosae, herba sempervivi, nasturtii, thymi, etc., tum porro camphora, opium, acetum, crocus, cicuta, borax, saccharum saturni, sabina, nitrum, rutha, mentha, ceteraque. At e tanta horum omnium, hisque similium farragine sola nonnisi sic

---

(*) Euporist. 1. 12. pag. 580. Synops. II. 9 et seq. p. 20.

(*) De med. mat. II. 165 et seq. p. 145. Edit. *Sarac.* Lib. III. Cap. 65. 148.

(***) Hist. nat. Lib. XIX. Cap. 8. XX. C. 13. C. 23. ceter.

(†) Problem. II. Sect. XX. p. 165. T. IV. Edit. *Du Vall.*

(††) Liber III. F. 21. Tract. I. Cap. 8.

dicta *abortiva* media haud mediocri in fecundationis opus influxu nocivo omnino praedita sunt.

§. 31.

Tandem hisce omnibus sterilitatis causis superaddi possent *totidem perturbationes facultatis fructiferae, in masculis individuis obviae,* relativam, potiusve in sensu medico-forensi receptam, demonstrantes sterilitatem, quam vero huc minus quadrare, censemus, tanto magis, quum, hisce rerum sub circumstantiis, non mulier, quippe quae, duntaxat, requisita gaudet facultate fructifera, sed conjugium sterile est (*). Porro innotuit quidem jam dudum, vulgaris potius, opinio de sterilitate foemellarum, quae, sub partu gemino, una cum masculo infante in lucem prodierê. Inter vitulos qooque gemellos tale quid supervenire, nonnulli asseverant; verum tamen accuratior investigatio, a *I. Cribb* (**)

(*) C. G. *Carus,* Lehrbuch der Gynäkologie, etc. I. Th. 2te Aufl. Leipzig. 1828. S. 220. — Учебная книга Гинекологіи. Соч. К. *Г. Карусомъ.* По препорученію Конфеpенціи Имп: Медико-Хир. Акад. перев. Професс. *Хотовицкій.* С. Пешерб. 1833. Сшр. 356. § 287.

(**) The London medical Repository. Vol. XX. No. 117. Septemb. 1823. p. 213.

instituta, nec non sex exemplis confirmata, assertum ejusmodi penitus incredibile reddidit, attestantibus idem Cl. *Mende* (*) et *Meisner* (**).

§ 32.

Sterilitatis causae, ipsi organismo muliebri inhaerentes, ut plurimum morbi sunt diversissimae propaginis et naturae, qua fit, ut sterilitas, a potiori, *deuteropathicam*, minus vero *protopathicam* constituat affectionem (†).

§ 33.

Jam *generales* sterilitatis causas, intra organismum muliebrem collocatas, quod attinet, primarium hic locum tenet *onania*, qua genitalia supra modum irritantur, indeque debilitantur; tum porro nimia irritatio isthaec humores ad uterum fortius attrahit, taliterque naturalem muci genitalis secretionem adauget, serius vero non solum quantitatem, sed

(*) Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe und gerichtlichen Medizin. Göttingen. 2 Bde. 1824—1825. 8.

(**) Forschungen des 19ten Jahrhund. 2 Thl. S. 32.

(†) См. выше привед. Учебн. кн. Гинокологiи. Соч. *Карyса*. Ч. I. стр. 356. § 288. — *Carus*, Gynäkolog. 1. Th. § 288.

et qualitatem ipsius permutat, ita, ut tandem compareat leucorrhoea, acriori constans e genitalibus effluxu, serius partes vicinas exulcerante et odorem teterrimum prae se ferente. Dum vero menstruationis periodus ingruit, secretio leucorrhoica, propter affluxum humorum, necessario increscit, praeprimis ante et post ingressum catameniorum. Tum successive catamenia brevius perdurant; majus quippe temporis spatium leucorrhoea occupat; tandem catamenia protinus disparent, inque ipsorum locum succedit leucorrhoea. A depravata adeo muci genitalis qualitate ut plurimum afficiuntur partes genitales, atque organicis exponuntur vitiis, sterilitatem secum trahentibus.

§ 34.

Magnopere quoque ad sterilitatem contribuit *debilitas* innata, vel acquisita per sanguifluxum nimium, saepius recurrentem diarrhoeam, fluxum hepaticum et coeliacum, abusum diaphoreticorum, emeticorum et purgantium medicaminum, discrasiam scorbuticam etc. Nisi enim, presente debilitate universali, systema genitale supra normam excitatum est, necessario tum genitalia quoque debilitate afficiuntur. — Utrum vena auricularis posterior

secta, juxta observationem *Hippocratis* (*), necessario ad sterilitatem ducat, haud satis probabile esse videtur, si haemorrhagiam vehementiorem, inde pronatam, vel vero venaesectionem talem tempore fluxus menstrui peractam, catameniaque ideo supprimentem, excipias.

§ 35.

Simili modo vehemens sternutatio, acclamatio, statim a coitu peracta, utrum conceptionem adeo laedat, pro certo non constat, qnamvis *Meissner* (**) casus meminit unius, in quo foemina quaedam, post peractum quemlibet coitum, longiori semper afficiebatur sternutatione, per sympathicam stimuli genitalis ad nervos nasi propagationem provocata, diutiusque conceptioni infesta.

§ 36.

Deletur quoque facultas concipiendi a quibuscunque gravioribus *morbis universalibus*, uti: a paralysi, cachexia, hectico statu, hydrope, amplis ulceribus suppurantibus, ab epilepsia quotidie recurrente. Momenta quaeli-

(*) De genitura liber. Cap. II. Edit. *Pierer*. Vol. I. p. 163.
(**) l. c. Üb. Unfruchtb. S. 154. §024.

bet, laxitatem partium genitalium promoventia, pariter huc spectant. Ita *frequens coitus* summopere nocet conceptioni, praeprimis si post insecutam jam graviditatem peragitur, uti a *Hippocrate* (*) observatum est; neque minus extra graviditatem a coitu excessivo conciliatur atonia, e qua praeprimis *meretricum sterilitas* explicanda est.

§ 37.

Pari modo huc annumerari possunt: *partus, frequentius repetitus,* vel perquam laboriosus, uterum diutius debilitans; neque minus malum, nutritioni corporis muliebris adeo infestum, puta, *praematurus veneris usus,* ut pote a quo genitalia summe delassantur, atque sensibilitate orbantur. Interea quam primum systema genitale quiete diutius perfruitur, simulque quam primum omnes influxus nocivi remoti sunt, statim memoratae modo sterilitatis causae vim suam amittunt, tanto magis, quanto majori in gradu irritabilitas genitalium ad pristinum reddit statum normalem, laxitati protinus oppositum. Inde est, quod foeminae, praemature veneri indulgentes, ad certum

(*) De his, quae uterum non gerunt. Lib. Edit. *Pierer.* Vol. II. p. 460.

nonnisi tempus steriles remanent, neque raro, aetatem jam majorem adeptae, impregnationis ex toto capaces evadunt. Ad causas, hic loci enumeratas, referre quoque possumus: *pessaria male applicata*, *pregressam lythotomiam*, quibus nonnulli etiam addunt *vulnera extensa*, uberius suppurantia, immo *fonticulos*.

§ 38.

Crassities corporis muliebris, perquam rapide increscens, praeprimis circa abdomen et coxas, pergrave sistit conceptionis impedimentum, summopere quippe deprimit justam ovariorum evolutionem, attestantibus jam *Hippocrate* (*) *Aristotele* (**) et *Aetio* (***); tum praeterea enormi adipis copia comprimuntur, et vasa spermatica, et ovaria, et tubae Fallopianae, ipseque immo uterus. His superaddamus, necesse est, ineptas ad conceptionem mulieres crassas esse vel ideo, quod pudenba utriusque individui, sub coitu, inter se coaptari nequeunt. Quid quod animalia quoque, nimis corpulenta, haud adeo fructifera

(*) Aphor. S. V. Aph. 46. De his, quae uterum non gerunt, Lib. Ed. *Pierer*. Vol. II. p. 465. —

(**) De generatione animal. Lib. II. Cap. V.

(***) Tetrabibl. IV. Cap. XXVI.

esse, vel inde patet, quod v. g. gallinae, justo magis crassae, parciora, vel protinus nulla ponant ova.

§ 39.

Adinstar crassitiei corporis, conceptionem retinent *tumores, in abdomine pronati* et *indurationes omenti.* Calculi quoque renales et vesicales enormes, tempore coitus, excitant dolores, quibus fecunditas haud parum impeditur.

§ 40.

Nullatenus vero febres nervosas, nec non intermittentes ad *constantes*, longe potius vero ad *occasionales* relatas esse, volumus, *causas* sterilitatis, eousque videlicet remanentes, donec abnormitas systematis nervosi genitalium post febres nervosas superest, vel donec post febres intermittentes, praeprimis quartanas, superstes obstructio abdominalis, aut vitium organicum viscerum, fecunditatem retineat ad aliquod nonnisi tempus, vel vero in perpetuum.

§ 41.

Insuper experientia multiplex edocuit, ex

usu *mercurialium* nimis protracto, et praeprimis contra phtyriasin genitalium adhibito, fecunditatem deleri. Eundem trahit secum effectum *lues syphilitica*, altiorem evolutionis suae gradum adepta; neque hoc latet, liberos, a parentibus syphiliticis pronatos, dibiliorem, nec adeo longam agere vitam, citiusque facultate fructifera orbari.

§ 42.

Jam et *affectus animi*, praecipue deprimentes, maeror, tristitia, anxietas, diutius perdurantes, sterilitati favere, supra monuimus (28), in alio quidem respectu. Verum et exules de patria, coelum prae se ferente serenum, toties idem experiuntur malum. *Morbos quoque mentis*, hosque inter melancholiam ad sterilitatem perinde conducere, nonnullae demonstrare videntur observationes (*).

§. 43.

Locales Sterilitatis causae, *intra organismum muliebrem haerentes*, respiciunt systema genitale, nempe: uterum, cum vagina ejus, partes genitales externas, tum porro tu-

(*) *Meissner*, l. c. p. 14. § 6

bas uterinas, ovaria, neque minus mammas. Redit vero tota causarum ejusmodi indolis vel ad *inpedimenta conceptionis*, salva ceterum facultate coeundi, vel *ad impedimenta coitus, adeoque et conceptionis.*

§ 44.

Uterus.

Uterus sterilitatem inducere valet varias ob abnormitates, partim in strictura ejus organica, partim in functionibus ejus exortas. Quoad structuram, primarium hic locum obtinet uteri *defectus congenitus*, a *Schenkio* (*), *Thedenio* (**), *Columbo* (***), *Hennemanno*, *Mayero* (†), aliisque observatus. Solet vero vel totus deficere uterus, una cum tubis Fallopianis et ovariis, normali ceterum perstante fabrica genitalium externorum; vel vero nonnisi corpus uteri, nec non tubae Fallopianae et ovaria desunt, pars vero colli uterini, aeque ac vagina ejus et genitalia externa integra supersunt; vel tandem, id quod vel maxime notatu dignum esse censetur, deficiente

(*) Observations medicae. Obs. V. P. 611.

(**) Neue Bemerkungen II. B. Berlin. 1782. S. 265. —

(***) De re antomica. L. XV.

(†) *Meissner*, l. c. p. 97. § 130.

protinus utero, haud tamen deficiunt tubae ejus et ovaria, simulque genitalia externa normaliter constructa prospiciunt, ita ut nonnisi postica vaginae portio deficiat, atque tubae Fallopianae hient in vesicam urinariam. Casum id generis retulit *Engel* (*). Porro, praeter defectum uteri congenitum, occurrit etiam acquisitus, qualem praeprimis inducit rudis amputatio uteri inversi, a *Schurigio* (**) et *Wrisbergio* (***) observata.

§. 45.

Praeter defectum uteri, ad causas sterilitatis pertinet quoque *multifaria abnormitas structurae ejus* (†). Ita solet aliquando e superficie externa fundi uteri prodire alius, par-

---

(*) Diss. de utero deficiente. Regiomonti. 1782.

(**) Embryologia. S. VIII. Cap. 6.

(***) Commentio de uteri mox post partum naturalem resectione non lethali. Göttingae. 1782. —

(†) Dantur interim, rariores quidem, casus, ubi, non obstante notabili structurae uteri abnormitate, conceptionis negotium integrum perstare valet. In muliere, post decimum normalem partum brevi emortua, *Chaussier* invenit nonnisi dimidiam, scilicet dextram solummodo portionem uteri, cum unica tuba Fallopiana et uno ovario (Hamburgisches Magazin f. d. ausländ. Litteratur der gesammten Heilkunde, herausg. v. *Gumprecht* u. *Gerson*. 1. B. 6. Heft. Decemb. 1817. S. 58).

vulus uterus, solidus caeterum, atque magnitudinem uteri puellae decennis aequiparans, sterilitatemque perpetuam inducens (*). Aequo modo os uteri perinde clauditur, obturaturque; id quod satis superque tum a *Hippocrate* (**) et *Celso* (***), tum ab aliis, et veteribus, et recentioribus medicis, praeprimis vero a *Sennerto* (****), *Fabricio* ab *Aquapendente* (†), *Morgagnio* (††) aliisque (†††) commemoratum toties habemus. Magni vero interest, ut obturatio oris uteri, post conceptionem jam enata, strenue distinguatur a congenita obturatione ipsius, tanto magis, quum coitus, post conceptionem frequentius repetitus, perquam faveat inflammationi uteri, in obturationem oris ipsius exeunti; quorsum, inter cetera, pertinere videtur memorabilis casus, a doctissimo

---

(*) *Meissner*, l. c. p. 98. §. 131.

(**) De morbis mulierum. Lib. I. Cap. I. Ed. *Pierer*. Vol. II. p. 274, — 275.

(***) De medicina libri octo. Edit. Edinb. 1815. p. 318. (Lib. VII. Cap. 28).

(****) Opera. Lugduni. 1676. Fol. T. IV. Lib. IV. Cap. II.

(†) Opera chirurgica. Lugd. Batavorum. 1723. Fol. pag. 571.

(††) De sedibus et causis morborum per anatomen indagatis. L. V. Nova Edit. curantibus *F. Chaussier* et *N. P. Adelon*. T. V. Lutetiae. 1821, L. III. Epistola 46. p. 564, 570.

(†††) Dict. d. sc. medicales. T. LII. Art. Sterilité p. 506.

D. Berger (*) relatus. Ipsos quoque parietes uteri aeque accrescere sibi invicem posse, taliterque cavum ejus obliterari, edocuit observatio *J. Wieri* (**). Porro aliquando uterus quasi contortus prospicit; ubi tum os tincae fundo uteri nequaquam oppositum invenitur, sed sursum retrahitur, atque in uno latere magis, ac in alio, appropinquat fundo uteri, adeoque nullatenus in vaginam prominet, et introitum spermatis in cavum uterinum protinus denegat. Simili modo collum uteri perinde justo longius est, atque vaginam justo magis adimplet, ita, ut sub coitu membrum virile praetereat collum uterinum, ac ad fundum vaginae penetret; quo in casu os uteri comprimitur, neque recipere valet semen virile, quippe quod ejaculatur in plicas vaginae, uterum ambientes. Occurit dein ejusmodi in structura uteri abnormitas, in qua viscus hocce massam carnosam, protinus difformem, conceptioni plane alienam, referat (*Schenk*) (***).

(*) Ad theoriam de foetus generatione analecta. Lipsiae. 1818. 4.

(**) De praestigiis daemonum et incantatione ac veneficio. Lib. V. Ed. III. Basileae. 1566. L. I. II. Cap. 38. p. 34. *Meissner*, l. c. p. 100. §. 134.

(***) Observat. Lib. IV. Obs. 311.

§ 46.

Quoad *functionem*, praeprimis huc spectat *defectus menstruationis*, propter quem mulier neque matura, neque conceptionis capax considerari meretur. Mulierculae id generis potius ad vitrilem, quam ad foemineam accedunt naturam, neque regionem pelvis, econtra vero humeros latiores possident, minori quoque praeditae sunt abdomine, minusque latis intestinis, quid quod mystacem perinde prae se ferunt, atque nomine salutantur *viraginum*, utpote quibus, juxta verba ***Propertii*** (*), „parcior est veneris, vel nulla cupido etc." At nemo Physiologorum nescit obvias hic inde et supra laudatas jam exceptiones è regula hacce, sive potius lusus naturae, conceptionem, puta, absque completa pubertate ac nondum evoluta menstruatione, iterumque menstruationem, nonnisi graviditatis tempore comparentem, vel vero in decursu totius, nequaquam sterilis, vitae deficientem. Interea tamen rarissima ejusmodi exempla, partim, peculiarem nonnullorum individuorum demonstrant constitutionem organicam, qua fit, ut ordo functionum protinus inversus, sanitati

(*) Lib. I. Eleg. XIV.

nullum adferat detrimentum; partim vero, neque id latet, foetus immaturos, vel vero quamvis maturos, at parcius enutritos, pronasci a mulierculis, recta functionum sexualium ratione destitutis. Zonas praeterea torridas si excipiamus, pubertatem muliebrem ex natura sua accelerantes, tum porro vitam, continuis laboribus, curis, vigiliis, inopia obrutam, aut saltatoriae arti nimis deditam si excludamus, defectus menstruationis certe inter gravissimas sterilitatis causas recensendus est. Quapropter verum nunc quoque est, quod *Macquart* (*) ante ducentos fere protulit jam annos: „menstruorum expurgatione non facta, conceptio fit raro, aut nunquam."

At neque solus menstruationis defectus, verum et excessiva ipsius copia, itemque menstruatio nimis protracta, pariter inter conceptionis impedimenta numeratur; quatenus scilicet nimia humoris hujusce jactura debilitet uterum, adeoque et genitalia, attestante idem *Hippocrate* (**), cujus verba haec sunt:

(*) L. S. C. Conf. quoque: О болѣзненномъ состояніи кровавыхъ испражненій изъ матки. *С. Професс. Хотовицаго.* Военно-Медиц. Журналъ, Ч. XVI. N 1. стр. 4.

(**) L. c. de his, q. uterum n. gerunt. Edit. *Pierer.* p. 456.

„uteri enim, sanguine evacuato, genituram non concipiunt propter debilitatem" etc. Idem quoque comprobant multifariis observationibus *Forestus*, *Mercurialis*, *B. Montanus* (*) aliique. Dehinc in vulgus jam notum est, mulieres, notabiliorem sanguifluxum multoties expertas, diuturna laborare sterilitate. Tandem reliquae quoque, quaecunque occurunt, catameniorum anomaliae necessario infaustum conceptioni statum uteri indigitant, adeoque sterilitatem inducere valent (**).

§. 47.

Jam item multifarias si considerabimus *excrescentias uteri*, obviam nobis venient polypi, fungi, sarcomata, atque rariora quidem concrementa lapidea (***), qua totidem causae sterilitatis. Huc quoque pertinent abnormes

---

(*) *Meissner*, l. c. S. 123. (§ 164).

(**) Juxta observationes Cl. *Denman*, relatas a *W. P. Dewees* (*C. W. Hufeland's* Journ. d. p. Heilkunde B. XXVIII. St. 2. Berlin. 1809.), solet, sub difficili ac suppressa menstruatione, ex utero exire membrana, triangularem cavi ejus figuram referens; idque ubi foeminas maritatas afficit, sterilitati ansam haud levem suppeditat.

(***) Руководство къ преподованію Хирургіи. Соч. Академикомъ *И. Бушемъ*. Ч. вторая. С. Петербургъ. Изд. пятое. Стр. 597. § 427.

depressiones ac coarctationes uteri, vel a graviori pronatae excrescentia quadam, uterum obruente, vel a duritie scyrrhosa, aut denegeneratione cartilaginea, vel lapidea. Aliquando econtra uterus prospicit perquam tenuis, mollis, fungosus, indeque sterilis. At neminem medicorum fugit, a notabilioribus quoque excrescentiis uterinis, a polypis, immo a scyrrho et cancro non adeo impregnationem, potius vero normalem graviditatis et partus decursum aliquando perturbari (*). Conceptionem et normalem graviditatis decursnm in foeminis, scyrrho et cancro uteri laborantibus, quater observavit *Siebold* (**); acque ac ter idem vidit in mulieribus, steatomatosum uterum prae se ferentibus. Hydrometra, aquosa, duntaxat, cavi uterini colluvies, pariter conceptioni nullatenus favet.

Jam os uteri quod spectat, *obturationes ejus*, congenitis haud adeo absimiles, conceptionemque protinus denegantes, subinde insequuntur inflammationem, mechanicam laesio-

---

(*) Diction. d. sc. medicales. T. 52. Art. Sterilité. p. 507 — 508. *Carus*, Lehrb. der Gynäkologie. 2. Th. zweite Aufl. Leipzig. 1828. S. 10. § 647.

(**) Handbuch zur Erkenntniss und Heilung d. Frauenzimmer - Krankheiten. Frankfurt a. M. 2. Ausgabe. 1821. 1. Band S. 457.

nem, praeprimis vero notabiliorem rupturam, sub partu, praecipue ubi et lochia parcius fluunt, adeoque adhaesionem mutuam partium disruptarum tantisper adjuvant. His dein superraddi potest obturatio oris uteri, a scyrrho pronata. Non levioris porro momenti impedimenta ad conceptionem, inde perinde ad coitum sunt *relaxata ligamenta uteri*; namque partialem ipsorum relaxationem concomitatur obliquus uteri situs, quo os tincae retrahitur ab apta ad conceptionem directione; totalis vero ligamentorum uteri relaxationis sequella est prolapsus uteri perfectus, coitum ex toto denegans, atque cum laxitate totius systematis genitalis complicatus.

Deinceps debilitas uteri, indeque orta insufficiens contractio oris uterini retentioni, spermatis virilis, sub coitu, in uterum injecti, minus favet, taliterque sterilitatem adjuvat, quam aeque opitulantur omnes, quaecunque uterum afficere solent, morbi multifarii, puta: rheumatismus et reliqua, vix enumerabilis, caterva malorum, huic visceri insidias struentium, adeo, ut jam antiquitus invaluit opinio: „sexcentarum aerumnarum mulieri auctor, uterus“ (*).

(*) *Hippocratis* Opera. s. cit. V. III. P. 438. Epist. 21. *Democritus Hippocrati* de natura humana.

§ 48.

Vagina uteri.

Inter congenitas vaginae abnormitates, conceptionem denegantes, frequentisimae sunt: *mutua cohaesio inter parietes vaginae, occlusio vaginae per membranam, angustia, aut amplitudo ejusdem excessiva* et denique *hiatus intestini recti in vaginam.*

Mutua adhaesio parietum vaginae congenita longe rarius, ac acquisita, locum obtinet, nihilo secius tamen ad certissimas sterilitatis pertinet causas.

Vagina per membranam obturatur simplicem, vel immo duplicem (*Ruyschius*) (*), et quidem vel transversim, sicuti plerumque occurrit, vel vero longitudinaliter, id quod rarius obtinet, et canalem vaginalem bifurcat. Accidit praeterea, ut vagina uteri cum visceribus cohaereat abdominis, praeprimis cum omento, ubi tum directio et amplitudo vaginae plus minusve perturbatur, adeoque sterilitati aliquando ansam praebere solet.

Angustiam vaginae excessivam perin de *concretio* quoque ejus partialis concomitari

---

(*) Observationum anatomico — chirurgicarum centuria. Amstelodami. 1691. 4. Observ. 32. P. 42.

solet, qua fit, ut incremento corporis puellae ulterius progrediente, vagina tamen uteri perangusta remaneat, atque vix pennam anserinam recipere queat(*). Occurit quoque spasmodica vaginae uteri constrictio (**), quae nimiae genitalium sensibilitati suam debet originem, atque enormes sub coitu excitat dolores, conceptionem protinus denegantes.

Nimia vaginae amplitudo certe non ad congenitas, verum ad acquisitas pertinent abnormitates, per onaniam, excessivum coitum, partum multoties repetitum, leucorrhoeam inductas. Sicuti autem nimia vaginae angustia coitum protinus denegat, ita nimia amplitudo ipsius nullum membro virili addit stimulum; in utroque ergo casu sterilitas necessario insequitur.

Jam vero *hiatum intestini recti in vaginam* quod attinet, excrementa alvina, per canalem huncce exeuntia, obtundunt irritabilitatem systematis genitalis; tum porro semen virile pertingit ad intestinum rectum, non vero in uterum; proinde impregnatio nullatenus succedere valet, et frustranea est.

(*) *Van Swieten*, Comment. in Aph. *Boerh.* T. IV. § 1290.

(**) *J. A. Schmidtmüller*, Handbuch d. med. Geburtshülfe. 1. T. Frankf. a. M. 1809. S. 28. § 20.

§ 49.

Inter morbos vaginae *acquisitos*, haud infrequens est supramemorata cohaesio mutua parietum ejus, post vulnera,, laesiones sub partu exortas, aeque ac post excoriationes superstes et coitus impedimentum sistens. ***Ruptura vaginae***, prope ipsum uterum exorta et inflammatione adhaesiva persanata, occludit vaginam, numeraturque tales inter causas sterilitatis, quae diutius non cognitae aliquando latitant (*).

Longe frequentius tamen occurrit concretio parietum vaginae, per rupturam perinaei sub laborioso partu orta. Si quando demum quaecunque concretio vaginae non totalis, ast solummodo partialis est, tum inde sola emergit coarctatio ejus.

Aeque infesta praeprimis coitui est mechanica obturatio vaginae uteri, quam sarcomata, fungi, polypi, herniae vaginales producere solent. Praeterea vaginam uteri coarctare, adeoque coitum denegare solet scyrrhosa ejus induratio, cujus gradum ***Van Swieten*** (**) adeo insignem vidit, ut vel specillum penetrare in vaginam vix posset.

(*) *Duncan*, Medic. Comment. London. 1774. Vol. II.

(*) Comment in Aph. *Boerh.* T. I. Edit. *Hildebr.* P. 857.

Meminisse porro juvabit, imminutam nimis, per fistulas, aliasque id generis causas, irritabilitatem vaginae uteri, tum porro sensum doloris sub coitu in vagina continuo perceptum, atque ab inhaerentibus ibi fors vulneribus, exculcerationibus excitatum, pariter haud parum conferre ad evolutionem sterilitatis.

Postremo, vaginae prolapsus inter causas quidem sterilitatis, non adeo tamen constantes, numerandus est: namque partialis prolapsus conceptioni nullum perinde est obstaculum; econtra vero prolapsus ejusmodi, cum descensu et obliquo situ uteri complicatus, longe majores jam conceptioni insidias struit.

§ 50.

Hymen.

Abnormitates qualescunque *hymenis*, si excipias nimiam ipsius firmitatem et amplitudinem, menstruationi et coitui inimicam, vix adeo ad causas sterilitatis aliquid conferunt. Equidem imperforationem hymenis, ad triginta usque annos vitae perstantem, nonnulli inter momenta causalia sterlitatis referunt *(Borgehl)* (*); id quod tamen experientia haud comprobatum est.

(*) Dissert. de sterilitate. Lugd. Batav. 1596. 4.

§. 51.

Excessivum clitoridis volumen haud levia sub coitu offert impedimenta, quae aliquando usque ad completam coeundi impossibilitatem pertingunt. Solet vero vitium hoc vel congenitum esse, vel onaniam, vitamque in genere lascivam concomitatur, insequiturque (*), nec non excessiva irritatione genitalium, humorumque praeternaturali secretione et vitiis immo organicis, inde prodeuntibus, feunditatem ex toto tollit. Clitoridis supra normam perquam voluminosi mentionem praeprimis fecerunt *Riolanus* (**), *Borgehl* (***), aliique.

Econtra vero *clitoris perexigua*, aeque ac completiis ipsius defectus nullatenus fecundationi nocere videtur.

§. 52.

Labia pudendorum.

Cohaesio mutua labiorum pudendalium frequentissimum sistit impedimentum impreg-

---

(*) *Martialis*, Epigrammata. Accurante *Corn. Schrevelio.* Ludg. Bat. 1656. Lib. I. pag. 86. Epig. 91. Ad Bassam tribadem.

(**) Anatomia. C. 37. Pag. 540. Confer *Meissner.* l. c. Pag. 109. § 146.

(***) L. c. Cap. II.

nationis, atque a jam *Celso* (*) et *Fabricio ab Aquapendente* (**) observata fuit. Rarius quidem cohaesio haecce congenita occurrit, at eum attingere solet gradum, ut additus ad vaginam uteri ex toto intercipiatur, solumque nonnisi orificium urethrae extus conspiciatur; ubi tum absque sublata labiorum pudendalium cohaesione mutua coitus, adeoque et impregnatio, protinus impossibilia evadunt. Praeterea occurunt *nimis voluminosa* et *justo longiora labia pudendalia*, ita ut pone anum usque extendantur, sicuti observationes *Heisteri*, *Panarolli* (***), aliorumque demonstrant. At haec utraque abnormitas tum solummodo causis sterilitatis annumeranda est, cum introitum membri virilis in vaginam uteri, ulterioremque penetrationem ejus protinus haud permittat.

Eodem modo *frenulum* labiorum pudendalium aliquando, anteriora et superiora versus, *per quam extenditur*, taliterque volumen introitus vaginalis notabiliter diminuit, adeoque coitui plus minusve, pro gradu suo, obstare valet.

(*) L. c. Lib. VIII. Caput 28.

(**) L. c. Operationes chirurgicac. Cap. 83. Pag. 573 — 574.

(***) *Meissner*, l. c. pag. 111. (§. 148.)

§ 53.

Morbos labiorum pudendalium quod spectat, acquisita cohaesio mutua utriusque labii vulgaris sequella est inflammationis, praeprimis post partum laboriosum et rupturam genitalium externorum, contusionem etc., enatae. Ubi igitur ambitus cohaesionis ejusmodi sat amplus est, sterilitas vix removeri potest, praemissa immo locorum, mutuo inter se cohaerentium, separatione; quippe quod, maxima ex parte, cicatrices supersunt sat duri, coitum utrique individuo perquam molestum reddentes.

Alius status morbosus labiorum pudendalium, coitui plurimum inimicus, est *oedematosa intumescentia* ipsorum, adeo enorme prae se ferens volumen, ut immissionem membri virilis nullatenus permittat; aliquando vero intumescentia ejusmodi firmissime comprimit invicem labia pudendalia, ad tactum perinde sat dura, ubi tum neque digito exploranti introitus in vaginam possibilis evadit.

Rarissime, attamen quoque extra graviditatem, occurrunt *varices labiorum pudendalium* perquam extensi, eodem, ac prior morbus, modo obstaculum inferentes impregnationi.

Deinde ad morbos pudendalium, conceptioni minus faventes, spectant *excoriationes* et *exulcerationes* ipsorum, quippe quae, propter vehementem dolorem, coitus tempore ab illis pronatum, totum voluptatis sensum, coitui fructifero adeo faustum, prorsus tollunt.

§ 54.

Tubae Fallopianae.

Defectus tubarum Fallopianarum, totalis vel partialis, praeprimis hic loci commemorandus est. Ad partialem autem ipsorum defectum pertinet *absentia fimbrianum*, quam ***Poupartius*** (*) annotavit. Tubis Fallopianis ex toto deficientibus, nullatenus insequi posse conceptionem, palam est; nam neque gradus vitalitatis, per coitum excitatus, neque sperma virile ad ovaria pertingere, neque ovulum in uterum transmigrare, valent.

Idem quoque de absentia fimbriarum praedicari certo certius potest: namque, primo, ob causas supra relatas, videlicet ob interceptam tum propagationem stimuli fructiferi

---

(*) Hist. Acad. reg. Scient. Paris. 1699. pag. 274.

usque ad ovulum Graafianum, ipsa immo graviditas ovarii vel abdominis nequaquam locum obtinet; porro tubae Fallopianae, fimbriis orbatae, necessario secedunt ob ovariis, adeoque fructificationi et progressui ovulorum in ipsas ex toto obstaculum opponunt.

Altera tubarum Fallopii abnormitas, sterilitati favens, est *obliteratio canalis ipsarum*, qua progressus ovi in uterum necessario retinetur. Videtur autem abnormitas haecce ut plurimum insequi leviorem inflammationem, a partu laborioso, ac nonnullis morbis abdominalibus exortam, licet *Ruischio* (*), id annotanti, contradicat *Morgagnius* (**). Quum porro animalia, coitus tempore enecata et dissecta, subinflammatorium offerant statum tubarum: inde colligere fas est, coitum quoque, frequentius repetitum, ad abnormitatem ejusmodi conducere.

§ 55.

Nonnunquam *fimbriae cum ovariis praeter naturam cohaerent*, eundemque sterilem exerunt effectum, quippe quae separationem

(*) Observat. anat. chirurg. Observ. 83.

(**) Adversaria anat. prima. Lugd. Batav. 1790. 4. p. 40.

ovulorum ab ovario, ipsis firmius accreto, haud permittunt. Meretricibus malum hocce vel maxime familiare agnoscit *Kühlenthal* (*), propter justo frequentiorem nempe veneris usum, genitalia summe irritantem. Sicuti concretio, ita et *constrictio nimia tubarum* impedit, quominus fecundatio succedat: namque pariter progressus ovi in uterum retinetur.

Solent quoque fimbriae tubarum aliquando aberrare ab ovariis (*fimbriae aberrantes*), adeoque haud circumdare organa isthaec, sicuti plerumque occurrit post uteri inversionem et prolapsum, neque minus post adhaesionem tubarum ad peritoneum, qua fit ut etiam canalis tubae plerumque comprimatur, adeoque sterilitatem inducat eodem modo, ac si esset obturatus vel concretus.

Inter morbos tubarum Fallopianarum acquisitos et sterilitati faventes, rarissima certe est *ruptura ipsarum*, quam *Rudolph* (**) post excessivam virium corporis exercitationem observasse, asserit.

Scirrhosam quoque *degenerationem* ab utero et ovariis *in tubas* propagari Fallopia-

---

(*) Dissert. de sterilitate foeminarum. Duisburgi. 1790. 4.

(**) Dissert. de venenis sterilitatem inducentibus. Witembergae. 1731. 4.

nas, taliterque conceptioni nocere, multiplex edocuit experientia *Concrementa lapidea,* seu potius *ossea,* in tubis Fallopianis oborta, pariter ad causas sterilitatis pertinent, longe tamen rariores, ac quae a hydrope tubarum, aliquoties observata, prodire solent.

§ 56.

Ovaria.

Ovaria vel ex toto aliquando *deficiunt,* vel vero *membrana obducuntur sat firma et crassa,* aut *enorme* sortiuntur *volumen* et degenerantur in *vesiculas hydatideas.* Porro nonnunquam *massa adiposa* utrumque circumducit ovarium. Omnia vero isthaec mala totidem sunt causae sterilitatis: quippe in ovario, firmiori et crassa membrana circumducto, ovulum nequaquam fructificari ac separi valet; propter adiposam vero massam, ovaria obsidentem, aeque ac propter hydropem ovarii, neque normalis horum organorum evolutio, neque ovulorum fructificatio succedit; in quolibet igitur casu ejusmodi inevitabilis est sterilitas, tanto magis, quum causas ipsius modo memoratâs strenue investigare et removere nulla valet ars.

§ 57.

Ultero excepto, *ovaria* majori, ac reliquae partes genitales, obruuntur *morborum turba*, conceptioni inimicorum. Praecipue huc pertinent: ovariorum induratio, intumescentia sarcomatosa, steatomatosa, scyrrhosa et sic porro; in adfecto enim ovario sanus ovulorum status persistere nequit. Accidit interim, ut nonnulla solummodo ovula in ovariis degenerata sint, at, propter enorme volumen suum, excessivam succi copiam sibi alliciant, indeque brevi sana quoque ovula afficiant. Inde etiam est, quod sub graviditate ovarii totum istud organon degenerari solet. Frequentissime autem sterilitatem inducit alius ovariorum morbus, puta, malum ipsorum hydropicum, ad enormem saepe numero increscens gradum: notum quippe est, ovaria hydropica plures perinde mensuras fluidi aquosi sibi includere.

Extirpatio ovariorum, olim castrationis puellarum modus (*), inter inauditas nunc sterititatis pertinet causas, quamvis in degeneratione ovarii, vetulis aliquando infesta, atque

(*) Conf. *Gruner* l. c. pag. 28. *Schurigii*, Parthenologia. S. III. cap. 8.

omnem respuente medicinam, qua ultimum commendetur a nonnullis, praecipue Anglis, medicis (*) subsidium.

§ 58.

Vasa spermatica.

Ubicunque *vasa spermatica* plane *deficiunt*, vel *obstructa sunt*, ibi sterilitas inevitabilis est, propter deficientem inde evolutionem et maturitatem ovulorum *Graafii.*

§ 59.

Pelvis foeminea.

Os coccygis, justo magis *interiora versus impressum,* coarctare solet ambitum canalis vaginae uteri, atque coitum haud permittit, quatenus scilicet vel introitum penis in vaginam ex toto denegat, vel vero dolores individuo masculo suo coitu creat sat fortes, necessarium voluptatis sensum protinus obtundentes. Eundem exerunt effectum exostoses, interna pelvis spatia occupantes, et ut plurimum symphisi ossium pubis insidentes. Huc quoque attinet *justo major inclinatio pelvis,*

(*) *J. Lizars,* Observat. on extraction of diseased ovaria, illustrated by plates, coloured afer nature. London. 1825. F.

ubi tum ossa pubis nimis deorsum diriguntur, introitusque vaginae perquam posteriora versus spectat: namque sub coitu dorsum penis, margine ossis pubis compressum, haud leves excitare solet dolores, omni voluptatis sensu privantes masculum individuum.

§ 68.

Mammae.

Utrum *carcinoma mammae* aliquid ad sterilitalem conferat, vix pro certo declarare possumus; quamvis enim carcinoma mammae haud infrequenter vel comitatur, vel subsequitur carcinoma uteri, destruens functionem hujusce visceris: tamen hocce mammarum malo afficiuntur foeminae plerumque provectioris jam aetatis, in qua concipiendi facultas vulgo deletur.

§ 61.

Diagnosis sterilitatis.

In dignoscenda sterilitate muliebri varia observaanda sunt: primo enim, hinc inde accidit, ut conjuges diutius liberis careant, quin tamen totali generandi facultate destituantur, sed sola fors coeundi obstacula experiuntur,

facile tollenda. Id quod vero ut tanto certius distinguatur, non suffimenta et odoramenta varia, quorum usns, in hunc scopum destinatus, veteribus adeo familiaris, at certe non proficuus fuit, verum investigationes organorum genitalium accuratissimae requiruntur. Tum porro permagni interest, corporis constituionem totius, temperamentum et vitae genus, neque minus influxus quoslibet externos investigare. Quae vero omna non solae abstetrices, nec aniculae, rei obstetriciae prorsus ignarae, sed medici experti ut serius ac scrupulosius examinent et dijudicent, vix satis commendari potest. Juxta animadversiones *D. Fischer* et *Schweighäuser*, permutatio rimae oris uteri transversalis in exiguam eminentiam lentiformem, fere semper signum sistit sterilitatis et quidem rebellis; interea, hisce non obstantibus, bis graviditatem insecutam vidit *Schweighäuser*, in primo casu post undecim, in ultimo, post quinque annos, in sterili conjugio peractos (*).

§ 62.

Prognosis.

In *prognosi tabilienda vel maxime* atten-

(*) *J. F. Schweighäuser*, Das Gebähren nach der beobachte-

damus, oportet, ad mali hujusce *originem*, ejusque *sedem*. Ita pessima prognosis est circa illam sterilitatem, quae a mutua inter utrosque conjuges ratione originem duxit, aut vero ab inaequali conjugum aetate et incongruo temperamento promanavit. Laetiorem econtra expectamus prognosin, ubi sterilitas sequella est abnormis temperaturae, coeli, habitaculi, aut vitae generis. Adaucta crassities corporis haud adeo pertinax subinde est malum (*); dum econtra tumores, in abdomine pronati, uti et indurationes omenti, maxima ex parte, omnibus adversantur remediis.

§ 63.

Aequo modo, congenita et acquisita vitia organica partium genitalim internarum, tactui erudito inaccessibilium, prognosin faustam nequaquam spondent. Dehinc congenitus, vel

---

ten Natur, und die Geburtshülfe nach dem Ergebnisse der Erfahrung. Strassburg. 1825. 8.

(*) Notari insuper meretur, foeminas, plethora uterina laborantes, indeque longius steriles, tandem fructiferas reddi post supervenientem, casu fortuito, sanguifluxum uterinum vehementiorem, sicuti id propriis et alienis observationibus demonstrat *Meissner*. Forschung. des 19-ten Jahrs. im Gebiete, der Geburtshülfe, Frauenz. u. Kinder-Krankheiten. 2 Th. Leipzig. 1826. 8. S. 31.

acquisitus, defectus unius, aut plurium organorum, fructificationi incervientium, incurabilem efficit sterilitatem. Eodem modo morbi vasorum spermaticorum, ovariorum et tubarum Fallopianarum, partim, difficile cognoscuntur, partim vero, cogniti etiam vulgo omnem respuunt curam. Ita induratio, suppuratio, porro hydropica affectio ovariorum necessario nocet normali evolutioni ovulorum, adeoque et prognosin sterilitatis ejusmodi infaustam reddit.

§ 64.

Morbos quod attinet, abnormitates catameniorum haud incurabilem adeo sistunt sterilitatem. Neque minus excrescentiae uteri polyposae, fungosae, steatomatosae, sterilitati quidem favent, quae tamen, hisce remotis, disparere solet. Econtra concrementa lapidea, in cavo uteri pronata, laetam prognosin haud promittunt, tanto magis, quippe tum ipsa quoque uteri structura gravius afficitur. Infausta quoque prognosis est, ubi uterus induratus prospicit; at aliqua nonnisi uteri loca indurata non adeo conceptionem, quam potius durationem graviditatis interpellunt; scirrhosa vero affectio uteri praeterea vitae quoque insidias struit, praeprimis ubi in carcinoma abit.

Abnormis cohaesio mutua parietum uteri protinus incurabilis est; contra vero res se habet, ubi nonnisi labia oris tincae abnormiter cohaerent. Incurabilis quoque est cartilaginea, vel alia abnormitas texturae uteri, sicuti et suppuratio totius uteri; partialis vero, atque nonnullis solumodo exiguis punctis limitata, suppuratio uteri meliorem offert prognosin. Obliquitas uteri, pro gradu suo, vel difficilliorem vel nullam reddit conceptionem, at in utroque casu artis auxiliis superari nequit. Ex opposita parte, situs uteri obliquus, a partiali ligamentorum uteri laxitate exortus, nonnisi levissimum sistit fructificationis impedimentum, artis ope facile tollendum. Rheumatismus et laxitas uteri, aeque ac prolapsus ejusdem, tanto meliorem praebent prognosin, quanto minus inveterata mala sint. Longe pejor autem prognosis est ubi abnormis status nervorum uteri locum obtinet, sicuti evenire solet in hysteromania, porro in hysteria etc. Nullatenus vero longitudo colli uterini excessiva fructificationem retinet, dummodo videlicet coitus apto perficiatur modo.

§. 65.

Inter morbos vaginae uteri, faustiorem

praeprimis admittunt prognosin excrescentiae cujuslibet indolis, quippe qua facilius, ac excrescentiae uterinae auferri possunt; induratio vero, scyrrhus et carcimona vaginae uteri, eandem obtinent tristem prognosin, quam de hisce ipsis uteri quoque morbis statuimus. Abnormis cohaesio mutua parietum vaginae uteri tanto difficilius superatur, quanto latius altiusque extenditur; optima igitur prognosis est, ubi vagina uteri sola obturatur membrana tenaciori. Neque cura leucorrhoae difficilis est, nisi organicae superveniant jam genitalium abnormitates. Onaniae sequellas quod spectat, prognosis plus minusve fausta dependet a gradu debilitatis corporis, inde pronatae. Haud infaustam quoque prognosin praebent: canalis vaginae uteri coarctatus, vel perquam amplus, difformitas clitoridis, frenulum labiorum nimis propendulum.

§. 66.

Adhaesiones labiorum pudendalium abnormes facile tolluntur. Idem sentiendum est de tumoribus oedematosis, nec non de exulcerationibus labiorum pudendalium, atque, in genere, de laxitate genitalium partiali, absque laxa, scilicet, corporis constitutione.

Therapia.

§ 67.

Ut taceam de praeservativis et specificis contra sterilitatem remediis, utpote de superstitiosis et rediculi plenis rebus, qualescunque in operibus medicis antiquis promulgata sunt, nulla habita ratione originis et indolis morbi (*), curam sterilitatis totam pro indole causarium ipsius pertractandam curabo. Quapropter tot varia indicanda sunt remedia, quot causae sterilitatis supramemoratae sunt, seu potius quot morbi protopathici deuteropathicam hancce affectionem secum attulerê.

§ 68.

Equidem diaeta peculiaris et conceptioni favens magni aestimabatur apud medicos

---

(*) *Meissner*, l. c. § 225 — 231. S. 179 — 186. Chinenses item mulieres, graviditatem haud appetentes, tres moxas comburere in umbilico suo solent; quae vero prolem cupiunt, undecim moxas ad utrumque latus duodecimae vertebrae dorsalis applicant. (Allgemeine Encyclopedie der Wissensch. u. Künste, v. *Ersch* u. *Gruber*. B. V.) Aequo modo Baschkirenses puellae, Veneri vulgivagae indulgentes, quovis mense certam cerussae albae dosin sumunt ad catamenia retinenda et graviditatem avertendam (Ibidem).

antiquos. Acetum et reliqua acida dissuadet jam *Hippocrates* (*). Alii prohibebant usum potus coffae, econtra vero permittebant rosmarinum, fumigationes aromaticas, balnea praeprimis chalybeata et multa alia, haud rato superstitiosa. Abest autem, ut unicuique foeminae sterili unum idemque, semper et ubique, prodesse possit regimen diaeteticum, quum plures, immo multifarias dari starilitatis causas, pro certo sciamus. Totum igitur, quidquid, ratione riginimis diaetetici, requiritur, eo tendit, ut omnes potentiae nocivae strenue effugiantur; id quod, pro varia causarum storilitatis indole, certe diverso assequitur modo (**).

(*) De ratione victus in morbis acutis lib. Sect. III. Cap. III. Edit. *Pierer*. Vol. II. p. 250.

(**) Abstinentia a coitu, propter causas accidentales protracta, utilissimum aliquando producit effectum. Probant hoc rei militari, vel mercaturae addicti, et alii, qui, ob officia publica, vel propria, diutius per exteras peregrinantur regiones: horum enim conjuges, longius jam steriles, post felicem maritorum reditum, inexpectabili modo uterum gerere incipiunt. In reliquis, simplex vivendi modus, aër purus, ruralis, foeminis, amplas civitates incolentibus, summe prodest, utpote morbus iste inter matronas nobiliores frequentissimus animadvertitur. Meminisse porro juvabit excessuum in coitu, inprimis ubi hysterica subest labes. (Conf. *Schmidtmüller* l. c. I. Th. S. 47. § 40.).

§ 69.

Jam vero ad *causas sterilitatis, extra organismum muliebrem positas,* si respiciamus, primo obviam nobis veniunt influxus varii externi. Equidem infausta regionis alicujus et temperaturae ratio quum evitari nullo possit modo, peropus est, ut sterilitatis cura tum innitatur mutatione loci, peregrinatione scilicet in regiones remotas, magis forsan fecunditati proficuas.

§ 70.

Proxime nunc sequitur cura sterilitatis, a mutuo exorta individuorum infausto nexu, ceterum haud infecundorum. Verum tamen causas hujusce naturae scrupulosius pensitantes, agnoscamus, oportet, adversus mala ejusmodi debellanda nihil valere artem medicam: sola enim temporis et consuetudinis ratio nonnunquam tollere potest sterilitatem, plures per annos durantem, atque e defectu amoris conjugalis, e temperamenti et aetatis disconvenientia enatam. At ubi neque haec momenta emolumentum aliquod attulerê, certum jam et supramemoratum est, non adeo sterilitatem, quam potius conjugium sterile tum adesse.

§ 71.

Generales sterilitatis causas, intra organismum muliebrem collocatas, quod attinet, crassities corporis, citius increscens, exigit, ut quotidianae perficiantur deambulationes sat longae, digestioni et virium recreationi adeo faustae. Equidem phlegmatica plerumque natura ejusmodi foeminarum consilium tale aegre admittit; simulque desiderium prolis in ipsis haud adeo intensum est. Proinde incurabilem saepenumero in tali casu animadvertimus sterilitatem. Ast strenua ac rigorosior cura, diutius protracta, exoptatum aliquando, attestante praeclaro Prof. *Gräfe* (*), procreat effectum, inprimis ubi venaesectiones, laxantia remedia (calomel c. Jalappa), balnea vaporaria, inunctio unguenti Jodinae, diaeta perquam parca ac tenuis, aliaque id generis in usum trahuntur.

§ 72.

Debilitas totius corporis, post varios superstes morbos, requirit, praeter diaetam nutrientem, ut stadium reconvalescentiae a morbis, debilitatem secum trahentibus, rite per-

(*) *Gräfe* u. *Walter's* Journal f. Chirurgie. IX. Band.

tractetur. Commode tum adhiberi hinc inde potest internus et externus usus aquae mineralis Driburgensis, Pyrmontanae, aliusque.

Debilitas vero corporis totius, cahexias varias concomitans, ante absolutam istarum curam nunquam removeri potest, atque toties incurabilis est, quoties cachexiae ejusmodi omnem respuunt medicinam. Induratio omenti indicat usum mercurii internum et externum, simulque balnea tepida. At diu jam protracta et sic dicta lapidea, vel cartilaginea induratio omenti nullis jam cedit remediis.

§ 73.

Inter *topicas sterilitatis muliebris causas, organismo muliebri inhaerentes,* primo commemorati sunt a nobis morbi systematis uterini. Itaque os uteri clausum, artis ope chirurgicae, aperiendum est (*); id quod tamen in utero non gravido haud facili negotio perficitur: ubi enim totum uteri collum abnormiter clausum est, ibi nulla certe valet cura. Facilius interea perficitur operatio haec, ubi in loco orificii uterini parvula saltem deprehenditur apertura, cui specillum insinuari po-

(*) *Busch.* l. c. Ч. 3. cmp. 395. *M. J. Chelius,* Handb. d. Chirurgie. Zw. B. 1 Abth. Vierte Aufl. Heidelberg u. Leipzig. 1833. S. 86 — 88.

test. Haud insignem tamen perforatio oris uterini clausi adferre solet utilitatem: quippe nova cohaesio partium perforatarum perfacile insequitur, quatenus scilicet suppositoria, partibus vulneratis insinuata, tanto majorem excitant suppurationem. Longe alias res se habet, ubi, appropinquante jam partu, peragitur perforatio oris uterini clausi: namque lochialis fluxus, puerperio familiaris, cohaesioni marginum vulneratorum valdopere obstat.

§ 74.

Abnormis parietum cavi uterini cohaesio inter insanabilia pertinet mala, quippe quod instrumentum scindens nequaquam cavo uteri intromitti potest absque simultanea visceris hujusce laesione notabiliori. Tum porro nullius frugis esset tentamen ejusmodi operativum, quatenus scilicet loca separata iterum concrescunt.

§ 75.

Obliquitas uteri pariter incurabile est malum, ut pote in quo os uteri nullo modo ad normalem, conceptioni faustum, reduci queat situm. Ceterum, obliquitas uteri, haud adeo notabilis, et conceptionem permittit, et

naturalibus uteri paturientis contractionibus persanatur.

Obliquo uteri situi facillime medemur, dum frustulum spongiae, retro collum uterinum, applicamus ad eam portionem vaginae, cui apprimitur os uteri. Subsecuta vero jam conceptione, frustulum spongiae extrahatur, oportet. Juvat quoque, suasu *J. A. Schmidtmüller* (*), peculiaris, sub coitu, totius corporis situs, abnormi oris uterini situi adaptatus; ita, praesente obliquo, posteriora versus, uteri situ, prodest coitus a posteriori et s. p.

§. 76.

Naturalis colli uterini longitudo nimia non iisdem eget medicamentis, quibus curatur longitudo nimia colli uterini, per relaxationem ligamentorum uteri acquisita. Namque, ultimo in casu, prosunt adstringentia remedia, sub specie balneorum, semicupiorum, nec non injectionum praecipue adhibita; dum econtra, priori in casu, partialis nonnisi suadetur, sub coitu, immissio penis, cui praeterea, suasu

---

(*) Handbuch der medicinischen Geburtshülfe. 1. Th. Frankfurt. a. M. 1809. S. 46. 47. § 39.

nonnullorum (*Mondat*) (*), praeponitur annulus elasticus, e corio confectus.

§. 77.

Prolapsum uteri quod spectat, primo magni momenti est prophylaxis. Interdicantur igitur, oportet, foeminae, praeprimis puerperae, bajulatione ponderum, tum aeque constrictione corporis per thoraces et sic porro. Pronatus jam semel prolapsus uteri requirit usum externum adstringentium remediorum: corticis quercus, salicis, hypocastami, ulmi, chinae, rad bistortae, vel tormentillae, aluminis crudi, vini rubri vetusti, quibus, pro re nata, interdum adduntur roborantia interna. Ad majorem autem remediorum externorum efficaciam multum conducit, si diutius ipsa in vagina uteri retineantur; cui scopo respondet, partim, elevatus paulisper situs regionis pelvis, pro injectionibus adstringentibus seligendus, partim vero, introductio spongiae, liquidis adstringentibus imbutae, atque fasciis et linteis, ad genitalia externa appositis, suffultae. Abest autem, ut ex immissione spongiae aliquacunque derivari possent damna et

---

(**) L. c. pag. 57—58.

incommoda; atque licet nonnulli recentiorum (*Meissner*) (*) tale quid asseverent: attamen hisce et mea et aliorum, quotquot scio, medicorum practicorum repugnat experientia. At malo, jam perquam inveterato opponenda sunt etiam alia auxilia mechanica, quorsum pertinent sic dicta *pessaria* (**).

Ne autem per pessarium, utero applicatum, offendatur vesica urinaria et intestinum rectum, apprime utile est, si figura ipsi concilietur, aemulans arabicam litteram ∞, tranversim nempe collocatam.

§. 78.

Hydrops uteri, qua causa sterilitatis, non diuretica expostulat, alio cuilibet hydropi apta, remedia, sed immediatam aquosae colluviei evacuationem, per orificium uteri efficiendam. Quapropter suetam in hoc malo obturationem oris uteri, a muco spissiori inductam, removemus catheteris ope; praeternaturalis vero cohaesio oris uterini separanda est acu triquetra, paulisper obtusa, in qua opera perficienda collum uteri sustentetur, necesse est, digito indice et medio manus sinistrae, ne acus tri-

---

(*) L. c. pag. 223. §. 275.

(**) *Busch*, l. c. Ч. 3. стр. 385 и слѣд.

quetra deviet atque alium uteri locum laedat. Ubi aqua libere inhaeret cavo uteri, tum evacuatio ejus peragitur sola pertusione oris uteri; quod si vero aqua inclusa est uni, vel pluribus vesiculis, tum praeprimis requiritur punctura ipsarum. Postquam uterus protinus ab aquosa coluvie liberatus jam fuit, dispositio ad redditum morbi hujusce praepedienda est per usum internum remediorum roborantium, quibus adjunguntur frictiones spirituosae, balnea aromatica, semicupia et injectiones. A causa syphilitica pronatus hydrops uteri eget mercurialibus. Notari insuper meretur, accumulationem ejusmodi aquosam perinde viribus evacuari solius quoque naturae.

§. 79

Varia menstruationis vitia, tum porro chlorosis, hysteria, hysteromania, secundum regulas pertractari solent therapeuticas, ortui, indoli et durationi uniuscujusque mali adaptatas. Valdopere interea ad mala haecce profliganda, adeoque ad sterilitatem persanandam conferunt aquae minerales, quae Emsiae, in Ducatu Nassoviensi, florent. Ipsa quoque horum fontium nomina: Bubenquelle, Zwillings- oder Mädchenquelle, in vulgus nota, ab insigni ipsorum virtute prolifera deprompta esse,

videntur (*). Excrescentiae uteri variae, praeprimis vero polyposae, fungosae, mechanicis egent auxiliis, nempe deligatione, vel excisione. Excrescentia vero uteri lapidea, propter simultaneam visceris hujusce destructionem notabilem, vix removeri potest.

Scyrrhus et cancer uteri, levari quidem et limitari nonnunquam possunt; at radicalis ipsorum cura hucusque desideratur.

§ 80.

Abnormis parietum vaginae uteri mutua cohaesio vel omnem respuit curam, ubi scilicet cohaesio parietum totalis est; vel vero, praesente sat extensa cohaesione, cura summe difficilis evadit. Econtra concretiones parietum vaginae, exiguis nonnisi locis circumscriptae, facile removentur artis ope, eoque facilius, si anticam vaginae praeocupant partem, utpote ad quam instrumenta scindentia tutius et aptius applicari possunt. At quotquot varii sunt concretionis vaginae uteri modi, totidem varietates et in figura instrumentorum, et in ipso operandi modo necessario requiruntur;

(*) *C. Fr. Mosch*, die Bäder und Heilbrunnen Deutschlands u. d. Schweitz. Ein Taschenbuch für Brunnen-u-Bade-Reisende. 1. Th. Leipzig. 1819. Art. *Ems*.

ideoquo generale aliquid statui hac de re nequit (*).

§ 81.

Excessiva vaginae uteri coarctatio expostulat applicationem medicaminum emollientium, olei expressi, butyri insulsi, d—cti lini, etc. Ubi notabilis quidem, at nondum absoluta deprehenditur vaginae uteri angustia, ibi coitus, sub finem menstruationis, vel vero statim post absolutam menstruationem celebratus, haud raro fructifer est: quippe tum genitalia organa laxiora et molliora adhuc restant: ipsa porro facultas concipiendi magis intenditur tunc temporis (**).

Praeterea requiritur mechanica dilatatio canalis hujusce; cui scopo inservit spongia, substantiis oleosis imbuta et vaginae uteri insinuata, ita tamen, ut frustula spongiae indies largiora intromittantur. Vagina uteri, coarctata per tumores ipsi inhaerentes, alia jam eget cura, indoli talium tumorum adaptata. Vagina uteri, spasmodice coarctata, requirit internum et externum usum remediorum antispasmodicorum, e quorum penu opium intus propinatur, extus vero applicantur injectiones e flo-

(*) *Chelius*, l. c. p. 81 — 86.

(**) *Carus*, Gynökologie Th. I.—Учебная книга Гинекологіи. Ч. I. стр. 361. § 292. —

ribus chamomillae, capitibus papaveris, herb. hyoscyami, malvae, aliisque paratae. A mechanica vero dilatatione prorsus abstinendum. Aliquando prodesse solet longior a coitu abstinentia (*), tum porro usus aquae mineralis Emsiensis. Magnis quoque extolluntur laudibus vapores, ex herbis emollientibus et narcoticis extricati, atque per commodam machinam, a *Weidlichio* (**) excogitatam, vaginae uteri adaptati; in multis aliis quoque genitalium morbis sane proficui existimantur vapores ejusmodi.

§ 82.

Nimia vaginae uteri amplitudo indicat, primo loco, ut omnia evitentur, quaecunque laxitatem fibrae muscularis adaugent, uti sunt: balnea tepida, ablutiones emollientes etc. Secundo, defficiens tonus fibrarum muscularium restaurandus est per adstringentia semicupia, easdemque injectiones, tum porro per intromissionem tenuioris sacculi cylindrici, pulveribus adstringentibus, vino rubro maceratis, repleti. Verum tamen omnia haecce incassum adhibentur, ubi nimia vaginae amplitudo se-

(*) *Schmidtmüller*, l. c. 1. Th. § 29.
(**) Ueber den Badestuhl. Wien. 1818.

quella est excessivae pelvis latitudinis. In hoc plane incurabili casu commendatur, suasu nonnullorum, ut vaginae uteri, proxime ante coitum celebrandum, immittatur molle frustulum spongiae, quod lateri pelvis uno adjacere, neque orificium uteri obtegere debet.

§. 83.

Cicatrices, in quodam vaginae uteri puncto obvii, coitumque molestantes, emolliendi sunt, in quantum fieri potest, per unguenta blanda, oleosa, per injectiones tepidas, lacteas etc.

Prolapsus vaginae uteri iisdem, ac prolapsus uteri ipsius, curatur remediis, exceptis tamen pessariis, quorum locum, in prolapsu vaginae uteri inveterato, supplent sacculi cylindrici, adstringenti pulvere repleti et vino rubro diutius madefacti (v. § 82). Excrescentias vaginae uteri polyposas, fungosas, aliasque, maxima ex parte, facilius tollimus instrumentis scindentibus. Scyrrhosas vero et carcinomatosas excrescentias in vagina quoque uteri insanabiles esse, experientia edocuit.

§ 84.

Hymen sat tenax, vaginam uteri obturans, ideoque coitum denegans, scalpro dis-

cinditur chirurgico; postea vero fasciculus lintei carpti, indies largior, vulneri inciso introducitur, prout ita et adhaesio nova praecaveatur, et vaginae introitus amplior retineatur.

§. 85.

Clitoris perquam voluminosus, malum praeprimis Aegyptiacis et Aethiopicis foeminis familiare, solet, in utrisque regionibus hisce, amputari, quam primum virgo ad ineundum conjugium sese praeparat. Sed non raro infaustum operatio ejusmodi prae se fert exitum.

Inter alias gentes orientales econtra moris est, ut clitoris perquam voluminosus aduratur. Medicorum nonnulli (*Heister*, *Dionis*) (*) primo ligaturam imponunt clitoridi nimis voluminoso, eumque postea amputant. Interea amputationem clitoridis concomitatur periculi plena haemorrhagia; deligationem vero ipsius insequuntur convulsiones, inflammatio et gangraena; sicuti aeque post adustionem clitoridis prava et periculosa supervenit suppuratio, praeter enormes, scilicet, dolores, adustionis ejusmodi socios. Quandocunque igitur

(*) *Meissner*, l. c. pag. 236. §. 289.

clitoris, nimis voluminosa, removeri debet, extirpatio prae ceteris commendatur, utpote nec adeo difficilis, nec periculi plena methodus.

§ 86.

Abnormis cohaesio mutua labiorum pudendalium facile removetur ope scalpri chirurgici. In quem finem, pollice et digito medio manus nostrae sinistrae, distendimus labia pudendalia, ita ut loca cohaerentia tanto magis patefiant; tum vero caute discindimus supremam locorum cohaerentium partem, atque locum incisum, juxta directionem labiorum, dilatantes, strenue enitimur, ne instrumentum scindens in substantiam labiorium penetret, atque sanguifluxum et postea cicatrices derelinquat. Magna porro cura adhibenda est, ne urethra laedatnr, inprimis ubi cohaesio congenita est. Aperturae, per scalprum procuratae, insinuamus specillum sulcatum, quo manuducente, loca cohaerentia separamus, secundum longitudinalem directionem. Vulnus, post operationem superstes, sueto tractatur modo, vulneribus incisis adaptato; inter margines vero vulneris fasciculi lintei carpti deponuntur.

§ 87.

In tumore labiorum pudendalium oedematoso sola liquidi aquosi evacuatio haud sufficit; causarum enim ejus ratio insimul habenda est: secus intumescentia oedematosa iterum comparebit. Remotis itaque causis, indicantur jam sacculi herbacei, ex aromaticis substantiis parati; tum porro pannus, fumo baccarum juniperi imbutus, genitalibus applicatur ad perspirationem topicam promovendam. Commendantur quoque fomentiones irritantes, spirituosae.

§ 88.

Ruptura vaginae uteri et perinaei, usque ad anum sese extendens, requirit, ut partes disruptae in pristinum revocentur nexum mutuum, qui vel viribus naturae propriis, vel artis ope conciliatur (*). Spontaneae vel naturali cohaesioni multa quidem obstare solent, uti sunt: fluxus lochialis, margines vulneris continuo semovens, tum porro motus quilibet femorum, sub alvi et urinae evacuatione vix evitabilis, ipsa porro disrupta, adeo-

(*) *Busch*, l. c. Ч. 3. стр. 398—399.

que inaequalis superficies marginum vulneris etc. Artificialem vero connexionem marginum vulneris contraindicat magna genitalium, statim a partu, sensibilitas, inflammatoria porro irritatio, quae ad uterum usque perfacile tum propagatur, atque suppressionem lochiorum, aliaque mala graviora inducere valet

Praestat autem, ut primis a partu diebus spontaneus, seu naturalis partium disruptarum connexus, in quantum fieri potest, adjuvetur per strenuam totius corporis quietem et praeprimis per ligamenta, genubus laxius imposita: namque, primo, partialis ruptura perinaei certissime ita persanatur; totalem vero perinaei quod interest rupturam, cum dilaceratione musculi sphincteris ani complicatam, viribus naturae solis persanatio haud adeo facile attingitur, nihilo secius tamen aliquando succedit, sicuti summe memorabilis edocuit me casus, in matrona quadam Petropolitana nuper observatus, ubi, elapsis tribus a partu septimanis, prima jam granulationis vestigia comparuerê, post decem vero septimanas nulla jam in vaginam uteri penetrabant excrementa alvina.

Artificialis connexio commode suspenditur eousque, donec fluxus lochialis fere ex

toto cessavit; tum vero margines vulneris, cicatrice jam obtecti, superficialitar abscinduntur ita, ut vulnus referant iterum recens; quo facto, vulneri imponuntur suturae cruentae, ac in utroque latere vulneris instituuntur, suasu clariss. *Dieffenbach* (*), incisiones, quibus tensio partium, vulneri vicinarum, praepeditur, atque completa vulneris ipsius consolidasio magnopere facilitatur.

§ 89.

Excoriationis, ulcera, aliaque id generis mala genitalum externorum, coitum fructiferum molestantia, pertractari debent juxta regulas chirurgicas.

Frenulum labiorum pudendalium, nimis elongatum atque vaginam uteri partim occludens, transcindi debet eodem modo, quo labia pudendalia, sibi invicem accreta, separantur; tum vero, ad praepediendam coalitionem vulneris, intromitunttur ipsi fasciculi lintei carpti.

(*) Chirurg. Erfahrungen, besonders über die Wiederherstellung zerstörter Theile des menschl. Körpers, nach neuen Methoden. Berlin. 1831. Военно - Медицинскій Журналъ. Ч. XVIII. No. 1. Стр. 20.

Ossificatio articulationis ossis coccygis, interiora versus nimis impressi, concubitui obstans, ad incurabilia pertinet mala.

§ 90.

Leucorrhoea requirit praeprimis remedia, causis ipsius opposita. Removeantur igitur, oportet, cibi et potus calefacientes, saltatio, equitatio, lectus e molioribus plumis paratus, tum aeque consuetudo olam, prunis repletam, genitalibus submovendi. Contra vero juvant cibi leniores, facile digerendi, potus roborantes, praecipue cerevisia, modicus et frequens corporis motus, vestimenta, rite parata etc. Debilitas systematis uterini eget martialibus (*); insimul haud parum prosunt balnea, successive frigidiora. Laxitati vero genitalium diuturnae medentur adstringentia remedia externa. Abnormitates systematis lymphatici removentur per antimonialia et mercuriala, ut plurimum vero per pulv. Plumeri et balnea sulphurea. Arthritidi, rheumatismo, alliisque morbis generalioribus sua opponatur apta methodus.

(*) Sicuti in leucorrhea, ita et in aliis morbis organorum genitalium multopere prodesse solent perinde injectiones aquae mineralis Emsiensis (*Mosch* l. c. 1. Th. Art. *Ems.*)

Atonia systhematis genitalis irritantibus curatur quam externis, tam internis remediis. Magnum praeterea levamen adferunt balnea tepida, aromatica et martialia, inunctiones spirituosae, neque minus Electricitas et Galvanismus. His adjungatur, necesse est, diaeta nutriens, aer domicilii purus, moderatus vini generosi usus, lectus non adeo mollis, somnus minus protractus, peregrinatio etc. Verum tamen, ubi debilitati genitalium associavit sese adaucta ipsorum sensibilitas, tum semicupia et injectiones mucilaginosae prae ceteris utilia sunt remedia, quibus, pro re nata, additur usus internus medicaminum sedantium, puta: hyoscyami, opii, castorei, assae foetidae, valerianae etc. Longe absint praeterea omnia, quaecunque genitale systema irritant, uti sunt: lectio librorum romanensium, consortium virorum etc.

§ 92.

Tandem vitia organica et morbi ovariorum atque tubarum Fallopianarum omnem respuunt medicinam, vel ideo jam, quia plerumque dignosci nequeunt.

Errata.				Legenda.
Pag.		*Lin.*		
71	—	11	rigiminis	regiminis
76	—	1	paturientis	parturientis
88	—	9	consolidasio	consolidatio
88	—	10	Excoriationis	Excoriationes
88	—	11	genitalum	genitalium
88	—	19	intromitunttur	intromittuntur
89	—	7	molioribus	mollioribus
89	—	8	olam	ollam
89	—	19	mercuriala	mercurialia
89	—	21	alliisque	aliisque
90	—	19	romanenfium	romanensium
90	—	23	neqeunt	nequeunt

Cetera, quaecunque fortassis supersunt, errata typographica, benevolus ut corrigat lector, iterum atque iterum oro.

Errata.				Legenda.
Pag.		*Lin.*		
17	—	15	prortus	prorsus
18	—	20	pronam	pronum
20	—	14	considerarta	considerata
22	—	7	dundaxat	duntaxat
38	—	24	nun	non
39	—	5	pregressam	praegressam
42	—	7	strictura	structura
43	—	20	natabili	notabili
49	—	15	acque	acque
50	—	17	uterini retentioni,	uterini, retentioni
51	—	22	perin de	perinde
51	—	25	Ob serv.	Observ.
55	—	9	feunditatem	fecunditatem
55	—	14	completiis	completus
56	—	1	a jam Celso	jam a Celso
56	—	4	additus	aditus
56	—	21	per quam	perquam
58	—	11	fimbrianum	fimbriarum
59	—	4	ob	ab
61	—	2	experientia	experientia.
62	—	1	Ultero	Utero
63	—	15	mascuulo suo	masculo sub
65	—	10	omna	omnia
65	—	10	abstetrices	obstetrices.
65	—	24	tabilienda	stabilienda
67	—	2	incervientium	inservientium
69	—	2	qua	quae
70	—	3	rediculi	ridiculi
70	—	7	causarium	causarum
71	—	3	coffae	coffeae
71	—	6	rato	raro